DE DICTIONE

GEORGII MACROPEDII.

SCRIPSIT

J. HARTELUST.

DE DICTIONE
GEORGII MACROPEDII

ACCEDUNT

MACROPEDII

PETRISCUS

ODE DE MORTIS IMAGINE

Epistolae exemplum.

DE DICTIONE
GEORGII MACROPEDII

ACCEDUNT

MACROPEDII

PETRISCUS

ODE DE MORTIS IMAGINE

Epistolae Exemplum.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

AMBROSII ARNOLDI GUILIELMI HUBRECHT

PHIL. NAT. DOCT. IN FAC. PHIL. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

IANUS HARTELUST

EDANUS

IN GYMNASIO TRAIECTINO LITERARUM CLASSICARUM PRAECEPTOR

DIE XIV MENSIS JUNII HORA IV

TRAIECTI AD RHENUM

APUD J. VAN BOEKHOVEN

MCMII

PATRI CARISSIMO

ET

CARISSIMAE MATRIS

PIAE MEMORIAE.

CONSPECTUS.

PRAEFATIO.

Humanissimus mihique aestimatissimus promotor meus, vir clar. J. v. d. Vliet cum mihi de dissertationis argumento cogitanti auctor fuisset ut poetam aliquem vel scriptorem ex iis, qui in patria nostra literarum Latinarum laude floruerunt, tractandum mihi sumerem, amicus, vir clar. Gerardus Kalff, Macropedium mihi commendavit. Cuius nomen cum in Germania, Brittania, Belgio apud viros doctos magis notum sit quam apud nostrates, nonnulla praefanda mihi putavi, quibus et ex iis quae extra patriam nostram proximis annis de Macropedio scripta essent praecipua quam brevissime enumerarem, et quam rationem in hoc libello componendo secutus essem paucis exponerem. Atque inter Belgas quidem vir doct. Ferdinand VanderHaeghen, bibliothecae Gandianae praefectus, accuratissimam Macropedii librorum bibliographiam quam vocant confecit, et vir doct. Alphonsus Roersch anno 1894 in libro qui inscribitur „Biografie Nationale" de poeta nostro brevem scripsit commentationem, quae legatur dignissimam. In Brittania Carolus H. Herford in libri, cuius titulus est „Studies in the Literary Relations of England and Germany in the sixteenth century" [1]) Capite tertio, quo de dramate Latino saeculi decimi sexti erudite et eleganter disseruit, compluribus locis Macropedium eiusque

---

[1]) Cambridge, at the University Press, 1886.

fabulas tractavit. In Germania praeter alios [1]) de Macropedii memoria praeclare meriti sunt duo viri doctissimi, DANIEL JACOBY et JOHANNES BOLTE, ex quibus ille docte et exquisite de Macropedio disputavit primum in libro, qui inscribitur „Allgemeine Deutsche Biografie" [2]), deinde libello, cui titulus est „Georgius Macropedius. Ein Beitrag zur Litteraturgeschichte des sechzehnten Jahrhunderts" [3]) in quo et omnes fere, qui ante eum de Macropedio scripserunt, commemoravit et de tribus poetae nostri fabulis, Asoto, Petrisco, Iosepho paulo fusius disseruit. JOHANNES BOLTE, vir omnium quae ad illorum temporum literas pertinent peritissimus, duas Macropedii fabulas, Rebelles et Alutam, edidit [4]) praemissa introductione locupletissima et lectoribus utilissima, ubi cum legissem haec [5]): „Die Sprache des Macropedius verdiente eine besondere Untersuchung", hoc negotium suscipere decrevi, in quo exsequendo si viro doctissimo aliquo modo satisfacere potuerim, magnopere gaudebo. Sed reputanti mihi nonnullis ex iis ad quos hoc opusculum missurus essem Macropedium prorsus ignotum esse, pauca de eius vita et scriptis praemittenda videbantur; et quoniam scriptoris dictio et stilus ex ipsius operibus optime cognoscitur, simul ut poetam nostratibus commendarem, Petriscum fabulam, Oden de Mortis Imagine, Epistolae exemplum addidi. Ac Macropedii exemplaria cum et in bibliothecis rarissime inveniantur nec cuiquam in manibus esse soleant, in ipsa

---

[1]) Dr. H. HOLSTEIN. Das Drama vom Verlornen Sohn. Ein Beitrag zur Geschichte des Dramas. Halle a. d. S. Otto Hendel. 1880.

Dr. FRANZ SPENGLER, der Verlorene Sohn im Drama des XVI Jahrhunderts. Innsbruck, Verlag der Wagnerschen Universitäts-Buchhandlung, 1888.

[2]) Band XX, pg. 19—23, 1884.

[3]) Wissenschaftliche Beilage zum Programm des königstädtischen Gymnasiums. Ostern 1886. Berlin, R. Gaertners Verlagsbuchhandlung. (Hermann Heyfelder).

[4]) Lateinische Litteraturdenkmäler des XV und XVI Jahrhunderts, herausgegeben von Max Hermann, n⁰. 13. Berlin, Weidmannsche Buchhandlung. 1897.

[5]) pg. XXXV.

quoque dissertatione permulta mihi fuerunt citanda. In Rebellibus autem et Aluta Boltii editionem citavi, versiculis posterioris editionis, quos ille in introductione sua exscripsit, cruce notatis, in Petrisco editionem quae meae commentationi adiecta est, versiculis posterioris editionis notatis aut cruce, aut signo P; in reliquis fabulis usus sum ea editione, quae annis 1552 et 1553 prodiit Traiecti apud Harmannum Borculoum, qui tribus post annis Iesum Scholasticum quoque edidit in lucem. Et omnibus his ipse numeros adscripsi et Epistolicae editionis, qua usus sum, paginas numeris notavi.

Reliquum est gratissimum mihi munus iis, quorum vel auxilio vel officiis in hoc opusculo componendo usus sum, gratias agendi. Atque imprimis ex animo gratias ago quam maximas SERENISSIMO ENGELBERTO, DUCI DE ARENBERG, qui rarissimum ac pretiosissimum libellum quo Macropedii carmina lyrica continentur [1]) mea causa Traiectum mittere et itineris periculis exponere gravatus non est, et carmen manu scriptum, quod inscribitur „Ode de Mortis Imagine" ut typis expressum huic dissertationi adiungerem mihi concessit; qua liberalitate non me modo Sibi devinxit, sed etiam omnibus, quibus haec studia curae sunt, procul dubio pergratum fecit Dux Serenissimus. Viri ornatissimi quoque, qui bibliothecae ducali praeest, LÉON LEJEUNE, benevolentiam et officiositatem grato animo recordor. Vir ornatissimus J. F. VAN SOMEREN, bibliothecae Traiectinae praefectus, summa semper comitate gratissimis officiis me prosecutus est; vir doctissimus F. VANDERHAEGHEN, qui et eruditione et benevolentia sua tam multorum iam studia adiuvit, Macropedii opuscula scholastica, vir clarissimus CAROLUS DZIATZKO qui praeest bibliothecae Goettinganae, Iesu Scholastici unicum exemplar mihi commodavit; quibus omnibus gratias ago quam maximas.

Tibi denique, benevole lector, hoc meum opusculum commendo, quod quaeso aequi bonique consulere velis.

---

[1]) Vide pg. 19.

De Georgii Macropedii vita et scriptis.

Georgius Macropedius (vernacule van Langhveldt) natus est circa annum dom. 1475 in pago Gemert in dicione Silvaducensi sito. Quibus magistris, qua institutione usus sit ignoramus; verisimile tamen videtur eum postquam Silvaeducis in schola Fratrum Communis Vitae doctrinae fundamenta iecerit deinde in Academia Lovaniensi literis incubuisse. Studiis peractis in Ordinem Sancti Hieronymi in Communi Viventium receptus primum in patria urbe, deinde Leodii, postea Ultraiecti scholae Hieronymianae praefuit [1]). Ceterum non videtur virorum doctorum suae aetatis consuetudinem secutus doctrinae augendae causa magnam Galliae, Germaniae, Italiae partem peragrasse, neque quamquam fabulis suis satis ostendit se hominum mores optime nosse, multorum vidit urbes, ut patet ex elegia quadam quam in eum composuit Arnoldus Trichtius Noviomagus, professione Hieronymianus [2]); ubi leguntur haec:

> Cuncta per immensos quae attrita Lyceia propinant
>   Sumptus, ingenii vis dedit una tibi.
> Non tibi Lutetia est, non visa Colonia, non quas
>   Ex studiis urbes Itala terra colit.
> At dum Silvosa ludum moderaris in urbe
>   Inque illa, quae olim Legia dicta fuit,
> Atque Ultraiecti tandem, sic doctus ad unguem
>   Prodis, ut possit nemo stupere satis.

---

[1]) Casp. Burmannus, Traiectum eruditum, pag. 200.
[2]) Foppens, Bibliotheca Belgica pag. 340.

Palladis aut doctae mammas suxisse videris
Aut sane humanum transiliisse modum.
Quin habuisse sacri quid nescio numinis intus
Arbitror, ad Musas quod reserarit iter.

Fuit vir suis temporibus clarissimus, ex cuius schola prodierunt multi et celeberrimi viri, atque adeo, ut testatur Burmannus, omnes fere Batavi qui eo tempore doctrinae laude floruerunt. Praedicabatur ab omnibus singularis eius eruditio et recondita doctrina „nam praeter latinam, graecam, hebraicam ac chaldaicam quas callebat linguas, mathematicis disciplinis, etiam ad ipsorum organorum exquisitam fabricam, imbutus erat" [1]). Nec magis tamen propter eximiam eruditionem omnium laudibus celebrabatur quam ob pietatem, sapientiam, modestiam, mansuetudinem, atque in discipulos amorem. Ultraiecti ab anno 1537 usque ad annum 1552 rectoris munere functus senex in patriam urbem Silvam ducis remigravit, ubi podagrae cruciatu et laboribus exhaustus anno 1558 obiit. Legitur in obitum eius hoc Cornelii Valerii elogium:

Caelo potitus post labores plurimos
Georgius Macropedius,
Scholastici moderator optimus gregis,
Toto orbe nobilis senex,
Corpus reliquit hoc podagricum loco,
Longo labore exercitum.
Humanitas, studium iuvandi maximum
Benignitas amabilis,
Candor animi, pietas et eruditio
Hunc reddidere caelitem.

Gravissimum praeceptoris officium bonis libris discipulos instruendi Macropedii temporibus plus difficultatis habebat quam hodie habet. Renascentibus enim literis a viris doctis, purius Latine scribendi genus et ipsi assequi et discipulis tradere studentibus, acre et diuturnum bellum gestum est contra libros quosdam qui tunc in scholis dominabantur, praecipue contra

---

[1]) Foppens, l. c.

Petri Hispani Dialecticam et Doctrinale puerorum Alexandri de Villa Dei [1]). Quae ut prorsus abolerentur et eicerentur e scholis nova et meliora suppeditanda erant quibus artium et literarum praecepta breviter et dilucide exponerentur. In quo genere multum laboris consumpserunt et optime de studiosa iuventute meriti sunt imprimis Fratres Communis Vitae, Hegius, Sintius, Torrentinus, Despauterius, Murmellius, alii. Macropedius quoque compluria scripsit opuscula scholastica, quorum titulos et varias editiones sedulo investigavit et accurate enumeravit Jacoby [2]). Hoc loco eorum quos legi titulos adscribam et ex singulis pauca quae memoratu digna videntur delibata subiungam.

Graecarum Institutionum Rudimenta Hieronymiani in Traiecto gymnasii Tyrunculis per Tabulas compendiosius aliquanto quam ante perstricta [3]), autore Georgio Macropedio, eiusdem gymnasii archididascalo.

Sylvaeducis
Apud Ioannem Shoefferum, Sub intersignio Missalis.
Anno ab humani generis instauratione 1544.

Ex praefatione: „Cum subinde monuissent me, puer studiose, non mediocris eruditionis et prudentiae viri, ludi nostri literarii praeceptores, linguae graecae Rudimenta, quae ante quinquennium praelo mandaveram, quibusdam in locis prolixiora esse et altiora quam quae commode in semestri horis dumtaxat succisivis aut a praeceptoribus enarrari aut a tyrunculis apprehendi possent, plaeraque (ne solus mihi sapere viderer) quamvis non inutilia minus tamen insipientibus seu rudibus necessaria, ademi".

Perpauca tantum continet libellus digna quae adscribantur. De pronuntiatione vocalis H hoc dicitur: „H facit i longum apud Graecos nostri temporis, ut φημη-phimi, tametsi veteres per e longum sine dubio protulerunt". Unde apparet Macropedium Erasmi de hac re sententiam novisse; sequitur tamen Reuchlini pronunciationem, illis temporibus usitatam.

---

[1]) Cf. JAC. BURCKHARDT, de Fatis linguae Latinae in Germania, pag. 215, 284, 298. L. GEIGER, Renaissance und Humanismus pag. 398 sq. D. JACOBY, progr. 1886 pag. 9. DELPRAT, de Broederschap van G. GROOTE 326—331.

[2]) Progr. pag. 13.

[3]) Prima editio prodiit Busciducis apud Hatardum 1535.

Syntaxeos Praecepta Autore Georgio Macropedio denuo recognita [1]) et plerisque in locis castigata, in quibus pene nihil eorum, quae ab aliis fusius latiusque tractata sunt praetermissum est, Traiectinae scholae tyrunculis dedicata. Accesserunt huic postremae editioni graecarum constructionum annotationes breviusculae et exempla, singulis fere canonibus adiecta, ex quibus studiosus puer facile animadvertet in quibus Graecis nobiscum conveniat aut non conveniat.

Sylvaeducis
Apud Ioannem Turnhout typographum, a Caes.
Maiest. admissum, sub curru igneo.
Anno a Christo nato 1551.

Ex praefatione: „Syntaxeos praecepta quae nutricis instar plerumque balbutiens ante hoc ferme quinquennium tenellis meis auditoribus ingessi, denuo recognita et ab aliis elementariorum rudimentis seiuncta, seorsim premenda curavi, quo nostrae scholae tyronibus diversa ratione magis consultum sit. Scio equidem quod curiosis emunctaeque auris hominibus non satisfecero, quibus non nisi quod lepidissimum acceptum est. Dabunt tamen veniam si candidi sint, cum audierint me parvulis meis morem gerere, quibus lacte primum opus est, non solido fortissimorum cibo . . . . consulto autem ex sacris (sicubi occurrebant) exempla adieci; aut quod planiora viderentur, aut quod plerisque magis arriderent."

In hoc libello multa Alexandri grammatici genus dicendi referunt; sed alia est Macropedii dispositio et distributio, et pleraeque res ab eo planius ac lucidius explicantur. Ex exemplis eligimus haec:

Quanti emisti librum? Tribus *stuferis*.

Scholastica vita puerorum multa praebet exempla, quibus virga et ferula saepe laudantur:

Tu cum congerronibus tuis vapulabitis; ille percussus est virga; ille flagellabatur dimidiam horam; percutio Petrum, ibi Petrum significat rem quae percutitur; verberabor a praeceptore·*τυφθήσομαι ὑπὸ τοῦ διδασκάλου*. Ioannes percutitur nates *ῥαβδίζεται πυγάς* videtur graeca phrasis.

Nonnulla exempla invenimus quae hodie non facile recipiantur, ut Petrus comminxit lectum, convomuit Paulum. Versiculi Macropedii saepius duri sunt et subobscuri, ita ut non minus quam Alexandri explicatione egeant, quae prosa oratione plerumque additur.

---

[1]) Prima editio prodiit Busciducis apud Hatardum, 1538, secunda Ultraiecti apud H. BORCULOUM.

Exempla:

Hi discunt, nostras bene, sed male Saxo Prolepsin.
Toti da partem, subiecto proprietatem.
Da causam officio, divino munere Caesar.

Nonnulla exempla ab Alexandro mutuatus est, ut:

Vir duri capitis et forme femina turpis.
Ut cupidus ludi puer est timidusque flagelli.

Minus hodie probetur praeceptum hoc:

Quartus vel sextus mensurae mobile stringunt (nomen adiectivum determinant).

Explicatio: Nomen adiectivum mensurae indeterminatae regit certam quantitatem eius in accusativo vel in ablativo, ut:

Longum pedes tres vel tribus pedibus
Puteus altus centum cubitos vel cubitis.

Miramur hanc interpretationem: Consulo te hanc rem-ick begheer raet; sed consulo tibi-ick rade u.

Serior Latinitas eadem cura tractatur atque ea quae classica dicitur ut patet ex hac regula:

Nomina officiorum regunt post se hos ablativos, gratia, favore, clementia, providentia, miseratione et similes causae significativos:

Carolus, Dei gratia Romanorum imperator.
Hadrianus miseratione divina episcopus Romanae ecclesiae.

Sic Graeci quoque cum dativo aut cum praepositione, ut Παῦλος ἀπόστολος διὰ θελήματος θεοῦ.

Huc pertinet hoc quoque praeceptum:

Dic miserere mei vel mi, auxilior, dominorque.

Sacram scripturam respiciunt haec: Secus pro iuxta, ut Caecus sedebat secus viam παρὰ τὴν ὁδόν. Dominus tecum-ὁ Κύριος μετὰ σοῦ.

Prosoedia Georgii Macropedii, quae syllabarum accentum et quantitatem, pedum metricorum numeros et versuum scribendorum rationem, ad puerorum Traiectinae scholae utilitatem Tabulis quibusdam plane complectitur. Recognita denuo et quibusdam in locis correcta. [1]) Cum Gratia et Privilegio, Antverpia, ex officina Ioannis Loei, Anno MDL.

Ex praefatione: „Quicquid possum in re literaria, studiosi adolescentes, et pium et aequum est vobis impendere, quos non secus ac parens liberos enutriendos suscepi. Vidi vos non sine fructu, non sine ingenii

---

[1]) Ubi et quando prima editio prodierit non constat.

vestri cultu primum nostra tum Latina tum Graeca Rudimenta, deinde Institutiones grammaticas et Syntaxeos praecepta nostro nomine evulgata obviis (quod aiunt) ulnis amplexos esse, et quid restat nisi ut et προσῳδίαν et στιχολογίαν coronidis instar prioribus adnectam? et ab ovis ad mala (ut in proverbio est) instructum vobis convivium perducam? Ad quod me non modo decus, quo foeliciter coepta foelicius consummanda censentur, verum multo maxime vestra communis utilitas, vestra commoditas, immo vestra necessitas invitat. Ut interim sileam me a pluribus saepenumero rogatum ad id muneris obeundum, et cum detrectarem impulsum magis quam sollicitatum. Sunt qui brevius, sunt contra qui prolixius de hac re, et id quidem doctissime scripserunt, studiosisque non parum hoc nostro (quod ad literas attinet) foelicissimo saeculo commodaverunt. Verum in illis brevitati studentibus multa etiam scitu necessaria desyderantur, in his autem prolixa lectio teneris puerorum auribus aut taedium generat aut sedulo strepitu stuporem inducit. Quid, quod et quibusdam immo multis vestrum tam curta supellex est, ut nisi ostiatim emendicatis stipibus suum genium defraudent, non possint prolixiora volumina comparare?"

Opus tripertito dividitur.

Pars I. De Quantitate syllabarum per tabulas.
" II. De pedibus metricis.
" III. De recta metrorum seu versuum compositione.

Longissima est pars prima. Praecepta comprehenduntur versiculis, quorum nonnullos hic adscribere iuvat, qui simul ostendant quot et qualia vocabula illis temporibus pueris ediscenda dari solita sint.

Vocalis praeiens aliam brevis esto Latinis.
Produc diphtongon crasin quoque cum positura.
Prae muta et liquida breve si vocale fit anceps,
Atque modis aliis subin, id quod prosa [1]) docebit.
Preterito gemino brevis est prima atque secunda,
Fuste cecidit eos, dices tamen, atque pepedit.
A verbi produc crescentis sed dare deme.

Regula de vocali a.

Est a breve ante omnes mutas liquidasque figuras. Deinde vocalis a ante singulas consonantes pertractatur et enumerantur exceptiones: ex. gr.
A ante c in primis syllabis:

Acer acris produc, post bracchia cacabon adde,
Cacabo facundus cum gracio machina iunges.
Macero, maceries, paco, placo, addito thraces.

---

[1]) i. e. explicatio prosa oratione subiuncta.

In mediis syllabis:

In mediis produc cochlacam, hippaco, cloacam,
Iracunda, meracus cum mustacio, opacus
Pastinaca, petacia quis pistacia iunges.
Et portulacam, sampsacon et a quod habebit
Ante culum, cula, lus, ceus et cius adiectiva.

A ante p in primis syllabis:

Apher edat capum, cum lapathe, crapula, lapam,
Papus cum papa papat sub papilione,
Paphlagones rapum et saperdam, vapulo, sapo.

Eodem modo ceterae vocales tractantur. Ex. gr.
E ante s in primis syllabis:

Thesaurum vesane tuum vesicula condit.

I ante l in mediis syllabis:

Condylomata sint in asylo cum crocodilo.

I ante n in mediis syllabis:

In patinis proserpina sarcinulas trutinabit.

De caesura non loquitur. Invenimus tamen haec:
„Versus a vertendo dicitur, quod tantisper vertendus sit (ut quidam volunt) donec recte constituatur. Non enim (tametsi iusta sit) pedum dispositio et constitutio versum recte constituit; ut ineptus est versus:

Nos praeceptor iussit doctos scribere versus.

Aptior erit si sic vertas:

Doctos praeceptor nos iussit scribere versus.

Brevitati se studere affirmat his verbis: „Prudens omittam poetarum authoritates seu testimonia, ne liber prolixior fiat quam in semestri commode exponatur, neve tenuis fortunae adulescentuli pro eo redimendo genium suum fraudare cogantur". Laudantur tamen versus poetarum satis multorum, Euripidis, Plauti, Terentii, Catulli, Tibulli, Virgilii, Ovidii, Martialis, Senecae, Boethii, Claudiani, Prudentii, Erasmi. Grammatici citantur Servius, Augustinus, Aldus Manutius.

Simplex disserendi Ratio a Georgio Macropedio Traiectinae iuventuti praescripta, denuo prelo mandata [1]), reiectis nonnullis brevitatis gratia, quae in priori editione minus necessaria videbantur.

Sylvaeducis.
Tertiis a schola aedibus ex officina Ioannis a Turnhout.
Anno a Christo nato 1549. Menso Octobri.

---

[1]) Prima editio prodiit Busciducis apud Hatardum 1536.

Ex praefatione: „Etsi plaerosque novi multo eruditius rem dialecticam quam mihi possibile fuerit iampridem tractavisse (habet enim hoc seculum in omni disciplina viros doctissimos) non potui tamen quorundam sollicitatione inductus, ne dicam impulsus, quin vobis scholae nostrae tyrunculis haec dialectices Rudimenta magis quam praecepta ex incude recepta traderem. Visum est enim illis impulsoribus meis, visum est et mihi, omnes ferme, qui in hac arena versati sunt, aut obscuriores esse quam ut a pueris intelligantur, aut prolixiores quam ut congrue enarrentur, aut certe tanta brevitate succinctos ut studiosorum gulam magis irritent quam satient. Sunt tamen nonnulli, quorum doctrina (tametsi rem ipsam dialecticam doctissime et foelicissime tractaverunt) per Rei publicae Christianae censores, quod nomen eorum male audiat, e scholis passim exploditur".

In hoc opusculo, quo dialectices praecepta perspicue et ordine exponuntur, sequitur Macropedius Augustinum, Boethium, Agricolam. — Vocabulis utitur in hac disciplina illis temporibus usitatis, qualia sunt: vox significativa; nomina intelligentia um; susceptibilis contrariorum; vis digestiva, progressiva, apprehensiva; concupiscibilis, irascibilis; congregativus, disgregativus; quiditas; convertibiliter; equus est animal brutum hinnibile, cet.

Exempla saepe sumuntur ex vita scholastica, ut demonstrant hi syllogismi:

Omnes probi diligunt praeceptorem.
Petrus non diligit praeceptorem
Petrus igitur probus non est.

Quidam contemnentium praeceptorem non proficiunt.
Omnes contemnentes praeceptorem sunt scholastici.
Quidam igitur scholasticorum non proficiunt.

Omnes amantes literarum abstinent a Vino et Venere.
Petrus non abstinet a vino et venere.
Petrus igitur non est amans literarum.

Vel ex temporum conditione, ut: Karolus est homo, est quatuor cubitorum longitudine, est clemens, est Rhomanorum Imperator, Maximiliani nepos, expugnavit barbaros, impugnatur a Turca, est in Sicilia, coronatus est Bononiae, anno aetatis suae tricesimo, sedet purpuratus. Studium literarum est utile, reddit hominem immortalem, contemnitur a stultis, viget Traiecti his quantumvis calamitosis temporibus.

Nonnulli versus inveniuntur plus quam barbari. ut:

S praecedentem vertit sim (pliciter), P que per acci (dens).
Mutat praemissas M, C que reducit ad imposs (ibile).

Epistolica Georgii Macropedii studiosis Traiectinae scholae tyrunculis nuncupata, quae nihilominus quicquid ad Rhetorices elementa attinet brevibus praeceptis plane complectitur.

Antverpiae, apud Ioannem Hillenium in Rapo.
Anno MDXLIII.

Ex praefatione ad scholae Traiectinae studiosam iuventutem.

„Inter varia scholae nostrae exercitia nullum est meo iudicio ad quod magis non tam excitandi quam etiam in rem vestram urgendi estis, quam ad epistolas sedulo scribendas et iusto artificio componendas. Laudantur (et quidem non immerito) qui ad unguem grammatices praecepta callere, qui multas Ciceronis et aliorum paginas memoriter recitare, qui carminum diversa genera non solum recitare, sed etiam componere nituntur, quibus tamen omnibus quantumvis studiosis longe eos praefero, qui totis ingenii sui nervis epistolae student citra barbariem, docte et eleganter componendae. Hoc enim exercitio rectius pervenitur ad studii bonarum litterarum scopon, hoc est ad rectam dicendi et scribendi rationem, sine qua neminem (quantumlibet de caeteris glorietur) eruditum iudicare solemus."

Titulus demonstrat Macropedium hoc opusculo non solum artem epistolas scribendi sed etiam rhetorices praecepta tradere et exemplis illustrare sibi proposuisse. Inde fit ut epistolae secundum tria causarum genera Demonstrativum, Deliberativum, Iudiciale dividantur [1]). Inveniuntur epistolae laudatoriae, commendatoriae, suasoriae, dissuasoriae, exhortatoriae, petitoriae, consolatoriae, cet. Epistolarum exempla libellus continet 29, ex quibus nonnulla, quae temporum Macropedii condiciones et hominum mores depingunt, cognitu non indigna sunt. Unum ex quo quaedam cognoscimus quae ad vitam et mores discipulorum scholae Hieronymianae pertinent huic opusculo adieci [2]).

Marcropedius autem ut multi viri egregii qui illis temporibus doctrinae et literarum laude floruerunt non modo vir doctus fuit sed etiam poeta, nec magis propter eruditionem et prudentiam apud omnes fuit celeberrimus quam ob felix poeticum ingenium. Scripsit praesertim fabulas, quarum supersunt 12;

---

[1]) Cf. etiam Erasmum, De Conscrib. Epistolis, cap. 32. Rhetorum plerisque tria causarum genera placuerunt, suasorium, encomiasticum et iudiciale. Ad haec tanquam fontes pleraeque literarum formae referuntur.

[2]) Alterum, descriptionem urbis Leodii continens, edidit vir doct. Alph. Roersch, addita Gallica interpretatione. (Annales de la Société Liégoise de Bibliogr. t. I. fasc. 2, Liège 1892).

in his 5 comoediae sunt, 7 quae illis temporibus dramata sacra vocabantur, quamquam nonnulla ex iis comica satis multa admixta habent [1]). Macropedio autem, etsi ad comoedias componendas sine dubio ingenio et studio ferebatur, tamen etiam scholae mores et instituta ansam scribendi praebuerunt. Solebant enim discipuli bis in anno, semestri cursu peracto [2]) fabulas latinas publice agere, quod exercitium utilissimum iudicans Macropedius in Andriscae prologo laudat et commendat versibus his: (Andrisca 8—51).

> Inter tot, interque adeo discrepantia
> Scholaria exercitia, nullum (ut arbitror).
> Maioribus mihi prosequendum laudibus,
> Quam scaenicus ludus (modo absit foeditas)
> Actusque comicus. Alii versus canant,
> Alii legant scribantve crebro epistolas,
> Alii aliud exercitium honestum tractitent,
> Comoedia una facile praestat omnibus.
> Si carmen arridet, ea versu labitur;
> Si prosa, totius ita iambus carminis
> Attemperatur ut a soluta vix queas
> Oratione metro ligatam cernere.
> Haec schaemata grammatica troposque suggerit,
> Haec rhetori administrat arma affectuum,
> Haec disserenti offert locos dialectico.
> Quid tibi parit maiorem ad homines gratiam?
> Quid aeque moribus ornat adolescentiam?
> Quid quoque rei plus commodum scholasticae?
> Nam si in ea agenda exercearis sedulo,
> Lingua auferes stribliginem ac rubiginem,
> Quia agendo non modo promptitudinem, sed et
> Miram loquendi in concionibus palam

[1]) *Pias facetias* vocat eas in praefatione Lazari.
[2]) Andrisca 1 sqq.

> Semestre iam fere est quod in proscenio.
> Neque me quidem, nec histrionum quempiam
> Vidistis.

In Bassari prologo explicatur qui fiat ut duodecim menses sint ex quo acta sit comoedia.

Populo dabit fidentiam. Si eius quoque
Spectator adsis, non modo oblectaberis,
Sed et optimis quibusque vitam moribus
Ornaveris. Quid enim per immortalia
Divina numina, ecquid est Comoedia,
Nisi totius vitae hominum et clarissimum
Speculum et figura amplissima? in quo quid tibi
Vitandum erit vel actitandum, clarius
Lumine videbis atque contemplaberis.
Facessat omnis itaque, qui Comoediae
Obscoenitatem, et comico aut tragico actui
Levitatem et impudentiam improbe obiicit.
Nam ut impudico nil pudicum dicimus
Ita et pudico esse impudicum nil potest.
Quandoquidem in hoc certo poetae scriptitant
Ut vel probum instruant, vel improbum arguant.
Itaque mei commilitones candidi,
Excipite totis mentium atque corporum
Complexibus quodam superno numine
Vobis datam Comoediam, qua nil prius,
Nil laetius, nil gloriosius, nihil
Quoque ditius coetus Libethridum tradidit.

Iam Macropedii fabulas eo quo editae sunt [1]) ordine resensebo et adscribam argumenta. Ac prima quidem est:

Asotus Evangelicus, seu Evangelica de filio prodigo parabola.

Argumentum.

Duos pater familiae habebat filios
Quorum quidem senior quo erat frugalior
Hoc iunior rerum fuit profusior.
Is deprehensus cum improbis graecarier
A fratre primum, a patre deinde carpitur.
Plexis proinde sodalibus patrem petit,
Rem hereditariam accipit. Longe in Asiam
Comitantibus scortis duobus navigat.
Scortatur inibi, remque perdit pessime

---

[1]) Varias editiones vide apud Jacoby, Progr. p. 13—15.

Dolore patre affecto et aegritudine.
Tandem fame premente servit, et sues
Pascere coactus siliquis ventrem suum
(Quamvis cuperet) implere non permittitur.
Ductus igitur foelice poenitudine
Tandem ad patrem supplex revertit, gratiam
Quam demeruerat lachrymis uberrimis
Implorat, impetrat. Pater vitulum iubet
Seniore fratre non ferente occidier.
Epulantur et ducunt choros cum gaudio.

Asotus primum edita est anno 1537 Silvaeducis, sed aliquanto prius composita, quod demonstrant hi versus epistolae dedicatoriae:

Scripsi olim adolescens trimetris versibus
Et tetrametris, ea phrasi ac facundia,
Qua tum per adolescentiam et mala tempora
Licebat, evangelicum Asotum aut Prodigum,
Omnis quidem mei laboris initium.

Prior pars comoediae Plautinae similis est, posterior fabulae sacrae.[1]) Versuum numerus est 1853.

De Asoto scripserunt Holstein, das Drama vom verlorenen Sohn 1880, pg. 6—9; Jacoby, progr. pg. 21—24; Charles H. Herford, Studies in the literary relations of England and Germany pg. 153; F. Spengler, der Verlorene Sohn im Drama 1888, pg. 37—50.

Rebelles, Macropedii fabula longe incundissima, rudibus ac tenellis Traiectinae scholae auditoribus nuncupata.

Argumentum.

Didascalum matrum per indulgentiam
Spernunt rebellantes scholastici duo.
Hinc lusibus, luxu ac dolo re perdita in
Furto prehensus uterque morti addicitur.
Verum horula necis imminente novissima
Didascalus virga receptos liberat.
Praeda Satanum faucibus subito eruta
Fit matribus gnatisque magnum gaudium.

Numerus versuum in priore editione 957, in posteriore 1096. Denuo edita est fabula nuper a viro doct. J. Bolte, Berolini 1897. De hac fabula

---

[1]) Herford, pg. 88. The bizarre blending of Plautus' genial worldliness and Hebraic solemnity, which created the Asotus and the Acolastus (Gnaphei).

scripserunt Bolte in introductione, Herford pg. 155, 156, Spengler l. l. 104–109.

Aluta Macropedii Fabula admodum iucunda et lepida.

Argumentum.

Heinonis uxor Aluta vendit in foro
Altilia scurrae credita pecunia,
Sed pignori gallum reservans proximum
Ingressa in oenopolion edit et bibit.
Cum tandem inebriata solvendo haud foret,
Frustra morata debitam pecuniam
Regredi domum privata gallo nititur.
At pressa somno emptore ab ipso vestibus
Spoliatur ac larvata reti luditur;
Tandem excita ut domum rediit insaniens
Per sacrificum, causa agnita, restituitur.

Haec fabula omnium est brevissima; numerus versuum 572. Eam una cum Rebellibus edidit J. Bolte, 1897.

Petriscus. Hanc fabulam huic opusculo adiecimus. De Petrisco scripserunt Jacoby, progr. pg. 24–26. Spengler l. l. pag. 109–113.

Andrisca, Georgii Macropedii fabula lepidissima.

Argumentum.

Viri duo integerrimi Bunschotii
Duxere uterque sibi rebellem coniugem;
Coriarius fuit alter, alter agrarius.
Huius tabernae Andrisca poclis dedita,
Illius autem Porna sacrifico obsequens
Nullo queunt suasu aut minis compescier
Et ab inhonestis moribus divellier.
Qua propter ille suam flagellis Pornulam
Caesam insuit salitam equino tergori
Alterque devictam duello fustium
Sibi subdit Andriscam suam. Fit utraque sic
Ad optimos mores reducta gaudium.

Numerus versuum 1213.

Bassarus Georg. Macr. fabula festivissima.

Argumentum.

Custos Paraecho Praesidique Bassarus
(Quod sordidi essent et tenaces plurimum)
Lepidis dolis cum obsoniis vina abstulit
Et ad illa edenda eos vocavit vesperi,

Adiutus infidelitate Creobori et
Larvis suorum liberorum Bacchicis.
Fit interim ob tenebras tonitru et fulgura,
Primum Paraecho sacram ad aedem territo,
Dein Creoboro a cruce persequente Aerario
Spectaculum lepidissimum. Post Bassarus
Sua singulos coena soluta obsonia
Magno omnium risu comesse disserit.

Numerus versuum 1016.

Hecastus Macropedii Fabula non minus pia quam iucunda, in qua facinorosus quisque mortalium subitaria morte praeoccupatus, tanquam in speculo quodam contemplare poterit, quemadmodum per Christum post veram suorum criminum poenitudinem ad beatam adeoque laetam mortem perveniat.

Argumentum.

Convivium sibi atque amiculis suis
Opiparum Hecastus apparans pleuritide
Percellitur, subitoque post gravissima
Scelera citatur ad supremum iudicem.
Cumque anxius neque amiculos neque proximos
Neque liberos fidos sibi comites viae
Offenderet, despondet animum. Ad ultimum
Virtute fultus et Fide, post sacrifici
Monita salutis postque poenitentiam
Vitaeque restitutus est et gratiae.
Dein morte sancta spiritali gaudio
Se affecit et suos, probosque reddidit.

Numerus versuum posterioris editionis 2034.
De Hecasto scripsit Herford l.l. pg. 92, 159.
In introductione ad Rebelles Joh. Bolte scribit se novam Hecasti editionem iamdudum paratam habere; cuius magnam profecto omnibus quibus haec studia cordi sunt expectationem movit vir egregius.

Lazarus mendicus.

Argumentum.

Laemargus opibus affluens dum purpura
Byssoque tectus splendide cum fratribus
Et delicate victitat, nec inopibus
Nec hulceroso Lazaro (quanquam fame

Tabesceret) vel miculam largitur, at
Contra propelli ab aedibus caesum iubet.
Quare inter epulas gastrimargus mortuus
Ad inferos a diabolo detractus est.
At inopia defectus et fame Lazarus
Ad Abrahae sinum ab angelis subvectus est.
Ubi (dum vorax perpetuo in igne affligitur)
Fruitur perenni squallidus solatio.

Numerus versuum 1400.

Josephus, Macropedii fabula sacra, pietatis et pudicitiae cultoribus perlegenda.

Argumentum.

Venditus Joseph Israhelis filius
Duci Parhonis sacrificoque Potiphar
Praeficitur omnibus illius negociis.
Quem intuita pulchrum hera concupivit ad stuprum et
Nefas recusantem retento pallio
Sceleris marito accusat, atque in carcerem
Regis sategit iniici. Sed scite ibi
Vinctis duobus cum explicasset somnia
Rex somnians vatem iubet producier.
Qui cum aperuisset visa regi insomnia
Regni omnibus negociis praefectus est.
Complexus inde Potiphar cum uxorcula
Duxit pudicam gnatam eorum coniugem.

Numerus versuum 2027.

De Josepho scripsit Jacoby, progr. 26—31.

Adamus Macropedii Fabula, Christianae pietatis plena. In qua κωμικῶς ostenditur, quo pacto lapsus homo post multas multorum saeculorum calamitates et miserias per Christum ab initio promissum, tandemque mundo exhibitum, saluti restituitur.

Argumentum.

Paradisi Adam pulsus beata patria
In hanc miser mortalitatem trusus est.
In qua ante legem primiter multiplicibus
Erroribus seductus et plagis crebris
Attritus est. Sub lege deinde Moseos
(Quanquam figuris mysticis, subindeque
Prophetico fretus fuit solatio),
Tantis tamen post murmur et legis Dei
Transgressionem afflictus est laboribus

Doloribusque et cladibus passim suis
In liberis, ut destitutus undique
Consilio, ope et solatio, iam propemodum
Animum suum desponderit, donec Deus
Gnatum suum post multa misit saecula.
Qui homini salutem perdito tandem attulit,
Solatioque destituto gaudium.

Adam et Eva „typum gerentes" generis humani in miseria demersi perpetui spectatores aspiciunt omnes clariores res gestas populi Iudaei usque ad adventum Salvatoris. Suus utrique additus est genius, qui rerum significationes explicat eorumque animos longis laboribus afflictos confirmat. Res quae in scaena exhibentur sunt hae: Caedes Abelis. Abraham Isaac ut hostiam ad aras ducit. Israelitarum ex Aegypto exodus. Varii Iudaeorum in deserto vagantium casus. Leges dantur a Moyse. Violator Sabbathi lapidatur. Manna ex coelo delabitur. Aegri sanantur aspectu colubri ahenei. Pugna Davidis et Goliath. Vaticinantes inducuntur prophetae Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Prodit Simeon cum Zacharia. Mariae Iesu partus nuntiatur a Gabriele, eique Elizabeth gratulatur. Fabula est omnium longissima. Numerus versunm 2660.

Hypomone, seu Patientia Macropedii. Fabula sacra.

Argumentum.

Divina Hypomone cum Graphe sororcula
Delapsa coelo deditos sibi visitat,
Solatur et verbo Dei simul erudit,
Foedos Iobos, hulcerosos Lazaros,
Davida profugum et ἐξόριστον Heliam,
Sic Thobiam caecum atque claudos arthricos,
Cum filiisque prophetarum famentibus
Scholasticos pauperrimos et orphanos
Nudos, scabios et omnium rerum indigos.
Tandemque per Patientiam et monitus Graphes
Omnibus iis fit spiritale gaudium.

Numerus versuum 1241.

Iesus Scholasticus. (Argumentum metro compositum non exstat). Iesus duodecennis a scribis in templo interrogatus sententiam suam de Meschia exponit omnibusque singulari et supra puerum prudentia admirationem movet. Numerus versuum 1183.

Hanc fabulam Macropedius scripsit ultimam. Edita est Ultraiecti anno 1556, duobus annis ante mortem auctoris. Unum tantum quod quidem sciamus exemplar eius superest, quod servatur in bibliotheca Goettingana.

In omnibus Macropedii fabulis inveniuntur carmina lyrica. Omnes enim fabularum actus, postremis exceptis, choris clauduntur. Itaque singulae fabulae quaternos habent choros; in sola Hypomone quintus quoque actus choro finitur. In comoediis omnibus, in Asoto, in Hypomone omnes chori compositi sunt dimetris iambicis; praeterea tres in Hecasto, unus in Lazaro, unus in Iosepho. Trochaicis dimetris scripti sunt omnes chori Iesu Scholastici, secundus Iosephi, tertius Hecasti. Metro glyconico scripti leguntur duo chori in Lazaro, unus in Iosepho, quae fabulae singulos choros habent ex Sapphicis strophis compositos. Adami chori omnes anapaestico metro scripti sunt. Insertus est praeterea Lazaro hymnus dimetro iambico, Adamo canticum Mariae eodem metro, Hypomonae ps. 88 metro glyconico, Rebellibus hymnus sapphicus. Ex his omnibus tria carmina adiungam ut quid Macropedius in hoc genere praestet iudicari possit. Ac primum quidem adscribo chorum quo clauditur actus primus Iosephi, quod carmen nonnihil ex grandi Sacrae Scripturae simplicitate servasse mihi quidem videtur.

(Ios. 306—337).

Turbidi plastes Deus unus orbis
Condidit lucem tenebris fugatis,
Has volens noctem vocitari, et illam
Esse diurnam.

Inter effusas simul orbis undas
Condidit coelum ut στέρεωμα firmum,
Sive discrimen sine mixtione
Esset utrisque.

Colligens undas locum in unum ab imo
Aridam iussit superare, ut herbas
Germinet fructusque homini creando et
Omni animanti.

Solis et lunae rutilas lucernas
Fecit, ut Phoebus niteat diei,
Atque cum stellis vaga luna nocti
Luceat atrae.

Duxit ex lymphis volucres, et omne
Quicquid in ponto vegetatur, et quod
Reptat aut serpit benedixit atque
Crescere iussit.

Duxit e terra pecudes ferasque
Bestias multae variaeque formae.
Iussit et foetu decorare terram
Multiplicato.

Finxit e limo rubicundo Adamum,
Praeditum mente et ratione fultum,
Quo Dei formae similis praeesset
Omnibus unus.

Gratias ergo meritas agamus
Omnium plastae, qui ut ametur, ultro
Propter humani generis salutem
Cuncta creavit.

Adami chorus quartus (Ad. 1741—52).

Velut ad fontis cervus gelidas
Lassus sitiensque aspirat aquas,
Sic te Deus atque salutiferum
Sitit adventum mens nostra tuum.

In semine nostro vera salus
Abs te nobis in principio
Mundi nascentis, et inde Abrahae
Post Davidi promissa fuit.

Nobis igitur, pater omnipotens,
Ostende tuum patrium affectum,
Gnatumque salutiferum miseris
Tandem (rogitamus) ut exhibeas.

Hecasti chorus tertius (Hec. 1040—55).

Defluentis instar undae
Universi cum dolore
Procreati et educati
Morte ad ima labimur.

Ergo quid vires opesve
Quid voluptas, quidve honores
Proderunt post fata, quando his
Omnibus privabimur?

Delicatus tum putrescet
Fastuosus proteretur
Disque nudus obruetur
Pulvere, esca vermibus.

Corrigamus ergo nostram
Moribus vitam probatis
Ne (quod absit) temporalem
Mors perennis aggravet.

Praeter fabularum choros alia quoque Macropedii carmina supersunt. Servatur enim Bruxellis in bibliotheca Serenissimi Ducis de Aremberg libellus rarissimus ac fortasse unicus, quo continentur duo carmina typis impressa, et unum manu nitidissime scriptum, quod inscribitur Ode de Mortis imagine; hoc carmen venia a duce impetrata prelo subiectum huic dissertationi adieci.

Priora duo carmina inscribuntur:

Cantilena Schole Hieronymianae Ultraiecti pro anno 51. Georgio Macropedio auctore.

Ode Dicolos, Tetrastrophos, tribus prioribus versibus Asclepiadeis et quarto glyconico. De natali Christiano.

Carmen constat strophis 37 et repetitione elegiaca. Incipit in hunc modum:

Quid cantent pueri dignius aut colant
Quam Christum puerum, qui placidam indolem,
Artes ingenuas, regnaque coelitum
Gratis donat amiculis?

Princeps Pieridum, casta Polymnia,
Partus virgineos, cana crepundia,
Cinctum carne deum, moestaque gaudia
Hymno dic memorabili. e. q. s.

Repetitio est haec:

Corde puer mores humiles complectere Iesu,
Quo tibi post lethi funera surgat honos.
Nam qui se extulerit recidet depressus ad ima
Sponteque depressum Christus ad astra feret.

Cantilena Scholae Hieronymianae Ultraiecti pro anno 52. Georgio Macropedio auctore.

Ode Genethliaca Christo nato modulanda, metro anapestico.

Carmen constat strophis 31 et repetitione ionica. Duas strophas adscribam.

Carmen tibi Christe genethliacon
Puero pueri cantare volunt,
Et amaris dulcia lachrimulis
Miscere tuis matrisque tuae.

Verum nisi tu nostro faveas
Studio et teneras foveas mentes
Vox raucescet sine fructu operis
Et lingua dabit sine mente sonum. e. q. s.

Repetitio:

Puerorum decet omneis fore mores
Neque foedos, neque duros, neque vanos,
Sed honestos facilesque et sine fraude
Puerum qui probe Iesum celebrabunt.

Idem argumentum quod tractat Ode de Mortis Imagine alio quoque carmine cecinisse videtur Macropedius. In Prosodia enim leguntur haec: „Ionicum a minore carminum genus ut hoc nostrum:

Nec amaram nec atrocem necis horam,
Sed amicam et pretiosam fore credo cet".

De Macropedii genere dicendi.

Macropedii fabulae et nunc a viris doctis [1]) probantur et apud aequales eius summis efferebantur laudibus. Apellatur apud Foppens (pg. 340) Grammaticus et Poeta Comicus rarae felicitatis et exactae diligentiae. Et profecto multa in fabulis eius iure laudantur. Est enim in inventione fecundus, in scenarum compositione aptus, verus in hominum moribus pingendis, in sermone copiosus, ita ut omnes suae aetatis poetas superasse videatur [2]). Antiquis etiam nonnulli eum anteponunt. Sub imagine quam aspicimus in Foppensii bibl. Belgica hi versus leguntur ab Ant. Sanders compositi:

Tu Seneca et nostri potes esse Terentius aevi
  Seu struis ad faciles viva theatra pedes
Seu ploras tragicas, Macropedi, carmine clades
  Materiam sanctis adsimilante modis.
Desine iam Latios mirari Roma cothurnos;
  Nescio quid maius Belgica scena dabit.

Ridicule hunc poetam in laudando modum excessisse nihil attinet dicere. Attamen etiam Jacoby, vir prudens et consi-

---

[1]) Vide Jacoby, progr. 19—20, Bolte, introd. in Reb. VI, Herford l. l. 87.

[2]) Jacoby, progr. 20 Wenn man Hans Sachs mit Recht den grössten unter den Deutschen Dramatikern des 16ten Jahrhunderts nennen kann, so verdient Macropedius diese Stelle unter den Lateinischen.

Herford pag. 84 His (Reuchlini) mantle fell directly upon a man of great eminence, probably of all modern Latin dramatists the one whose talent had the largest measure of genius, George Macropedius.

deratus, aliqua ex parte Terentio Macropedium praestare iudicat [1]). Sed utut hoc se habet, sermonis certe suavitate et lepore, versuum nitore et elegantia cum antiquis comicis nequaquam conferendus mihi quidem videtur. Quod nemo profecto ei exprobrabit. Neque enim Helicona iam habitat Macropedii musa, sed armorum strepitu et gentium immanium et incultarum, quae omnis humanitatis expertes pulcherrima quaeque delebant et evertebant, invasione exterrita fugit et post longos errores et varios casus tandem in Batavorum maritimos campos devenit Plenam tamen Castaliae aquae urnam cum pie secum abstulisset per longi et difficilis itineris pericula urna confracta maior pars aquae effluxit nec nisi pauculae guttae superfuerunt. Quas cui daret postquam aliquamdiu circumspexit Macropedio potissimum obtulit hauriendas. Deinde vero facta est sana et robusta Hollandica puella, non invenusta illa quidem nec tamen elegantissima, simplex et candida, hilaris et iocosa, nec fastidiosa nec superba, quae Bacchanalibus cum matronis Bunschoticis laeta choros ducit, cum discipulis petulantibus graves et severos magistros irridet et ludificatur, callidas et lascivas meretriculas adiuvat amatorculos blanditiis suis irretientes, sacrificulos sordidos aut mulierosos exagitat et insectatur, iurgiis et conviciis gaudet, uxorem contra maritum rebellantem cohortatur et incitat. Eadem tamen, pia et religiosa, per longas noctes hiemales ad parvae lucernae lumen sacras scripturas sedulo lectitat pueris explicandas, Asotum nobis ostendit poenitentia ad patrem reducem, Iosephum proponit pudicitiae et castitatis exemplum, Laemargum heluonem durum et crudelem merita poena affici gaudet, cum Hypomone miseros homines aegritudine afflictos solatur, Hecastum mortis formidine anxium gravi alloquio confirmat, atque in omnibus Iesulum suum amat semper et veneratur eiusque matrem Sanctam Mariam Virginem. Atque ut est ipsa simplex et candida ita sunt ea quae poetae suo suggerit scribenda. Simplex est enim sermo Macropedii

---

[1]) An unmittelbarer Kraft, an Tiefe der Stimmung, auch der Charakteristik übertrifft er, wie mir scheint, selbst den Terenz.

et naturali facilitate fluit [1]). Neque sententias imaginibus operose quaesitis ornare studet, nec unquam fit tumidus nec vano vocabulorum sonitu delectatur. Ne in dramatis sacris quidem, quamquam gravitate non caret, sublime et grandiloquum dicendi genus affectat, sed quotidiano sermone contentus spernit ampullas et sesquipedalia verba [2]). In comoediis non tam leporibus

---

[1]) Macr. in Rebellium praefatione Reuchlini exemplo se ad scribendum excitatum esse profitetur. Quod nisi ipse dixisset nemo opinor esset suspicatus. Nam neque in argumentis eum imitatur et sermone magnopere ab eo differt. Reuchlin duas tantum scripsit fabulas easque brevissimas, quarum prior (Sergius) fabula vix vocanda videtur. Est autem in sermone horridus et praefractus, nec verbis abundans, vocabulorum priscorum et rariorum sectator, ac saepe dum brevis esse laborat subobscurus fit. (cf. Erasmi iudicium in Ciceroniano: „Germanorum eruditorum princeps est Capnion; vir magnus sed oratio redolebat suum saeculum adhuc horridius impolitusque"). Macropedius contra facilis est et copiosus, et quamquam interdum prisca et rariora vocabula adhibet plerumque tamen usitatis verbis contentus.

[2]) Macropedii de ea re sententia illustratur loco Hecasti quem quamquam longior est facere non possum quin hic adscribam. Disputat autem Philomathes, Hecasti filius cum Acolito, famulo Hieronymi sacerdotis.
(Hec. 1689—1735).

Phil. Heus puer, cum te sciam
Bonae indolis, quin linquis hunc Hieronymum,
Bardum rudemque sacrificum? quin applicas
Te literis humanioribus, ac iis
Horariis preculis chorique ineptiis
Sive λιτανείαις rancidis, quas audio
Cum sacrifico te murmurare sedulo?
Acol. Non te puto domine Medice ex animi tui
Isthaec loqui sententia. Phil. Pol maxime,
Acol. Sine ergo singulatim ad ea respondeam.
Phil. Respondeas per me licet. Acol. Primum omnium
Pium volebas ut sacrificum, quod rudis
Foret atque bardus, linquerem, sed ei magis
Ego obsequendum censeo, qui me sua
Pietate vitia fugere, Christo fidere et
Deum timere verbo et exemplo docet,
Ac litteratoribus iis scholaribus,
De me licet bene meritis, qui gnaviter
Mihi tradidere grammatica, dialectica et
Rhetorica, caeterum nihil. Phil. Sed illa quae
Tibi sacrificus nunc suggerit per Herculem

et iocis quam perpetua quadam hilaritate captat et detinet lectorem. Habent quidem hae fabulae versus satis multos qui duriores et minus elegantes a multis merito iudicentur, sed plenae sunt alacritatis et virium. Fabulae sacrae vero, quos ipse „paulo cultiores" vocat, leviores quidem sunt et aequabilius fluunt, sed minus habent nervorum multisque partibus languent propter longas de sacris scripturis disputationes et symbolorum explicationes, in quibus Macropedius magis τὸν κατηχίζοντα agit quam poetam. Fortasse comoedias suas magis expolivisset si plus temporis in iis componendis consumere potuisset; sed variis scholasticis negotiis et curis districto horis tantum subcisivis huic studio vacare ei licuit [1]). Hinc, cum

---

Ad opes, voluptatem atque gloriam nihil
Conduxerint. Acol. Verum ad salutem plurimum.
Nihilominus quem tu rudem ac bardum vocas,
Latum (quod aiunt) culmulum haud tibi cesserit,
Modo auferas tuos Ioves ter maximos,
Appollines et Hercules, ac id genus
Tua verba sesquipedalia, ampullas tuas
Phaleras tuas, fucos tuos, quae puritas
Orationis propriae non exigit.
Quantum licuit et res poposcit, litteris
Operam dedi politioribus, sed ut
Vidi quod ad veram salutem neutiquam
Sine pietate erga Deum conduceretur
Vale dixi eis, quod inane sit stultumque sit
Iis consenescere et immori. Phil. Loqueris probe
Mentique consentanea, et consentiam
Nisi antiphonae, hymni, precesque caeterae
Tam insulsa sint et barbara, ut mihi nauseam
Cantata pareant, atque doctis sordeant,
Acol. Et ego quidem nonnulla cupiam salsius
Latinius concinniusque prodita;
Verum sub iis (ut tibi videntur) sordibus
Ego simplicem pietatem honoro, veneror, atque
Exosculor, quam nec soloecus, nec aliqua
Inconcinnitas, nec barbarismus sordidat,
Quam et ipsa honestat lingua mihi vernacula.

[1]) Praefatio in Alutam: Si haec videatur plerisque in locis hiulca aut minus elaborata, non mireris, candide lector, quod in diebus quattuor

versus diu meditari non posset factum est ut iis quae prima se offerrent verbis usus sit. Verbis autem abundat. Excellit enim ubertate et copia, sed ut ex iis quae diximus facile intelligitur haud morosus est in delectu; itaque vocabulis utitur ex omnibus omnium aetatum et generum scriptoribus petitis, ab antiquis comicis usque ad Vulgatam Sacrae Scripturae Interpretationem et Scriptores Ecclesiasticos. Inde sermo eius multiplex est ac mira varietate insignis. Quod quale sit nunc accuratius nobis investigandum est. Itaque primum quibus ex fontibus vocabula et locutiones hauserit, quos potissimum imitetur, quae exempla secutus sit, deinde quae sermo eius propria habeat explorabimus. Reperiemus praeter ea vocabula quae omnium qui Latine scribunt communia sunt multa eum habere Plautina, multa sumpta ex Sacra Scriptura et scriptoribus ecclesiasticis, nonnulla quae apud epicos et lyricos poetas praecipue inveniantur, nonnulla denique quae propria videantur et peculiaria. Haec omnia postquam ordine exposita erunt deinde de reliqua sermonis Macropediani ratione videbimus.

urgente tempestate prorsus ita ut est absoluta sit, nihilo tamen minus exsecuto munere scholastico. Cf. etiam praefationes in Josephum et in Bassarum.

CAPUT I.

Plautina (et Terentiana).

Plauti et Terentii fabulas post literas renatas non solum sedulo lectitari solitas sed etiam multis locis frequenter actas et publice exhibitas esse omnibus notum est [1]). Praesertim in scholis a Fratribus Communis Vitae conditis comici veteres summo honore colebantur, in quo auctorem habebant patronum suum Sanctum Hieronymum, qui se Plauto valde delectari saepius professus est [2]). Itaque Macropedius quoque in schola Silvaducensi iam puer veterum comicorum fabulas cognosse et fortasse in iis agendis suas habuisse partes putandus est. Ac nonnullas quidem comoedias, Captivos imprimis, tam diu in manibus et in sinu gestasse videtur donec eas memoriter teneret. Minime autem mirandum est illorum temporum viros doctos qui ipsi fabulas scripserunt in plurimis veterum exempla imitatos esse. Materiem quidem et argumenta ex Sacra Scriptura

1) Et Terentianae quidem agebantur omnes, ex Plautinis delectus fiebat. Fabulae Plautinae quas JOH. STURMIUS (1507—89) scholae Leodensis discipulus, postea scholae Argentinensis rector, discipulis suis agendas dedit sunt hae: Aulularia, Menaechmi, Trinummus, Captivi, Miles gloriosus, Amphitruo.

2) *Ad Eustochium* de Virginitate servanda: (I. TH. PAREUS in Dissertatione de Vita et Scriptis M. Accii Plauti ante editionem suam) „Post noctium crebras vigilias, post lacrimas quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus". Cf. etiam v. REINHARDSTOETTNER, Plautus pg. 14.

plerumque aut ex literis vernaculis sumebant, interdum fingebant ipsi, sed fabularum formam, actuum distributionem, scaenarum compositionem, versuum metra ab antiquis poetis mutuati sunt. Macropedium quoque Plautum suum penitus et in cute cognitum habuisse ex fabulis eius satis apparet. Nec tamen ei verendum fuit ne, quod Divo Hieronymo Rufinus exprobravit [1]), Sectator Plautinae Eloquentiae vocaretur; nam si nonnulla a Plauto (pauca a Terentio) sumpsit, in plerisque tamen longe ab eo differt. Iam primum in metris multo severior est, de quo ipse in praefatione ad Rebelles hoc scribit: „Scripserunt interea nonnulli, quibus non infeliciter res cessit, alii carminis iambici legibus observatis. alii minime. Maluerunt siquidem hi Terentium et Plautum imitari metri etiam exacta ratione neglecta, singulos ferme aequalium temporum cum iambo et spondaeo in singulos indifferenter pedes admittentes, quam proxime possent ad prosam accedere quam libertatem metro stringere. Id quod et mihi primum faciendum arbitrabar ut plerique versiculorum meorum propter rasuram durius cohaerentium testabuntur. Verum ut carmen responderet praeceptis scolasticis et iuventus, sicubi res postularet, syllabarum ex eo quantitates [2]) aucuparetur, lyricorum carminum legibus obtemperare studui admissis tamen interim more comico omnibus, quae ad hanc rem conducere poterant, nempe synaloephis, episynaloephis, hellenismo, ecthlipsi, etiam interdum literae s [3]), atque hoc genus aliis adinventis." Hoc efficit ut versus Macropedii longe alium sonum et aspectum praebeant atque Plautini; inde etiam factum est ut multae locutiones quae apud Plautum passim inveniuntur, ut „iam quidem hercle" et aliae id genus nostro metri causa vitandae fuerint. Nec tam perpetuo lusus verborum captat, neque omnino dictionis

---

[1]) Paraeus l. l.

[2]) M. syllabarum quantitates satis diligenter servat, caesurae vero leges ita prorsus negligit ut eas ne novisse quidem videatur.

[3]) Notavi has: Reb. 395 proximust 597 satist 645 nullust, 883 reust Al. 92, Hec. 772 obviust, Al. 159, 322 meust, 211 clarust 421 minust cet.

Plautinae vim, varietatem, leporem, protervientem luxuriam aut imitari conatur aut assequitur. Sed iam quae Plauto debeat, quibus ei similis sit, quibus differat ab eo, accuratius videndum est.

---

1. Loci Plautini.

Totos locos Plautinos raro tantum in suum usum convertit Macropedius. Una tamen est fabula, in qua saepius hoc fecit quam in ceteris omnibus, Asotum dico, quam se iuvenem scripsisse ipse testatur. In hac enim fabula multa ex Captivis et Mostellaria sumpta ita in suum usum convertit ut non modo scaenarum compositionem a vetere poeta mutuatus sit sed etiam multorum versuum magnas partes sine ulla mutatione in suam comoediam transtulerit. Quae etsi iam antea a viro doct. Francisco Spenglero composita et inter se comparata sunt, tamen ne quid desiderari videretur nonnulla ex iis hic quoque adscribenda putavi quae quomodo poeta noster in hac re versatus esset declararent. Eligo locum ubi servus frugi cum conservo nequam de neglectis officiis et de delictis commissis expostulat, et ab illo summa cum contumelia ab aedibus proturbatur.

Plautus, Most. 1 sqq.	*Macrop. Asotus* 735 sqq.
GRUMIO, TRANIO.	COMETA, COMASTA.
Exi e culina sis foras, mastigia, Qui mihi inter patinas exhibes argutias. Egredere, herilis pernicies, ex aedibus. Ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe. Exi, inquam, nidor e culina. Quid lates?	Exi e latibulo, mastigia, citus foras Egredere, pernicies herilis, aedibus! Exi e culina, nidor, ecquid adhuc lates?
TRAN. Quid tibi malum hic ante aedeis clamitatiost? An rure censes te esse? abscede ab aedibus.	COM. Quid hic tibi clamatio est Pro his aedibus, scelus? Putas versarier Ruri, tuove in sterquilinio sordido?

Abi rus! abi hinc directe, abscede ab ianua!	Abi, frutex, abi, recede a ianua! COMET. Heu!
GRUM. Perii, quor me verberas?	COM. Hoccine volebas? COMET. Heu, perii! Quid verberas?
TRAN. Quia tu vis.	
GRUM. Patiar: sine modo adveniat senex	COM. Quia lubitumst. COMET. Patiar. Sine adveniat senex,
Sine modo venire salvum, quem absentem comes.	Senem sine advenire, quem absentem comes.
GRUM. Tu urbanus vero scurra, deliciae popli	Tu urbane scurra, libidinum fomes, mihi
Rus mihi tu obiectas?	Rus obiicis? Post pauculas horas cave
Cis hercle paucas tempestates Tranio	
Augebis ruri numerum, genus ferratile.	Numerum in crucibus arentium ruri auxeris.
Nunc, dum libet licetque, pota, perde rem,	Nunc, dum tibi libet et licet, bibe, perde rem
Corrumpe herilem nostrum adulescentem optimum.	Domesticam, corrumpe herilem filium,
Dies noctesque bibite, pergraecamini,	Meretriculas accerse, pasce inertium
Amicas emite, liberate! pascite	Gregem heluonum, una agite pollucibiliter.
Parasitos; obsonate pollucibiliter!	Totos dies noctesque pergraecamini!
Haecine mandavit tibi cum peregre hinc it senex?	Isthaecne mandavit tibi cum abiit senex?
Hoccine modo hic rem curatam offendet suam?	Hoccine statu offendet repositam rem suam?
Hoccine boni officium esse servi existimas,	Hoccine boni servi officium esse exiexistimas
Ut heri sui corrumpat et rem et filium?	Ut filium corrumpat absenti patre?
Nam illum corruptum duco, quom his factis studet	Corruptum eum duco, dum iis studet artibus,
Virtute id factumst, magisterio tuo.	Quibus eruditur ex magisterio tuo.

Haec sufficiant. Reliqua si quis volet apud Spenglerum invenire poterit [1]). Multi praeterea in Asoto sunt loci ubi Plautum imitatur Macropedius, aut ubi locus Plautinus menti eius

[1]) l. l. pg. 42—44.

obversatus est; quos plerosque ex Captivis sumptos attulit Spengler [1]), apud quem tamen non vidi locos hos:

Plautus, *Captivi.*	*Macrop. Asotus.*
56. Neque spurcidici insunt versus, immemorabiles	72. Nam castitati non oberit ut fabulae Versus quae habent spurcos et immemorabiles.
956. Fui .... bonus vir nunquam, neque ero unquam, ne erres; spem ponas me bonae frugi fore.	193. Pol ego probus nunquam fui, nec spem adhibeat Unquam fore.
774. Ita hic me amoenitate ..... oneravit dies.	199. Foelicitate quanta onustat me haec dies.
192. Ibo intro atque intus subducam ratiunculam.	261. Subducat ut ratiunculam cum vilico.
228. Ero ut me voles esse.	275. Ut me voles semper ero 477. Ero ut voles. 1840. amodo here ero ut voles.
848. Pisces praestinatum abire.	418. nos praestinatum amittimur pisces.
856. Etsi ego vetem 195. hanc aerumnam exsequi.	558. Quid si ego vetem te isthanc modo aerumnam exsequi?
866. esurire mihi videre.	581. videris esurire.
97. Senis qui hic habitat aedes lamentariae mihi sunt, quas quotiescunque aspicio, fleo.	1438. Quotiens propinquo ad huius aedes divitis Totiens cutis mihi prurit, horret denuo.

Asotus V, 3 et 4 exempla habuerunt Captivi IV, 1 et 2, ubi tamen nonnulla admixta invenimus sumpta ex Capt. III, 1.

Captivi,	*Asotus.*
ERGASILUS.	COLAX.
Nam uti dudum hinc abii accessi ad adulescentes in foro.	Nam ut ad forum veni, salutavique adulescentulos
„Salvete" inquam; „quo imus una" inquam „in prandium?"	Mox profero unum et alterum de dictis melioribus

[1]) l. l. pg. 38–49.

Atque illi tacent. „Quis ait: hoc! aut quis profitetur" inquam; quasi muti silent, Neque me rident. „Ubi caenamus?" inquam, atque illi abnuunt. Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus . . . Nemo ridet.	Rogo quo vel ad ientaculum, vel prandium instructum, vel ad Coenam opiparam concedimus; cuncti velut muti silent Illico, vel ut stulto mihi illudunt.

Alii loci ubi de verbis Plautinis cogitasse videtur Macropedius sunt hi: Captivorum suorum memor fuit in Iosepho (935) ubi Desmophylax Iosephum, custodiae suae traditum consolatur et confirmat in hunc modum:

Te oportet hanc aerumnam, Ioseph, exequi
Aequanimiter.

Venit enim poetae nostro in mentem similis loci Captivorum, ubi lorarius captivos alloquitur verbis his: (195)

Si di immortales id voluerunt vos hanc aerumnam exsequi
Decet id pati animo aequo.

Subridemus tamen cum eundem phylacistam Potiphari ut valeat Ioseph roganti hoc modo audimus respondentem: „Valet pancratice!" (Bacch. 248) [1] Alios Captivorum locos imitatur:

Reb. 945. Pudica vobis acta spectatoribus
Haec fabula est. (Capt. 1029).

Aluta 64. Me truncum habent, et si alloquor muti silent.
(Cogitavit de querela parasiti Capt. 480).

Petr. 419. Vaeh natibus immo tergoribus illis, quibus tot verbera *Immorientur* (Capt. 650 Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo *morientur* meo).

Aluta 135. Eccum commodum, huc quidam advolat
Contorto in umerum laevum amictus pallio.

Notum est apud veteres cervos currentes pallium in humerum conicere solere: nonnunquam tamen a parasitis quoque hoc fieri ostendit Capt. 778.

---

[1]) Cf. Epistol. pg. 104. Quinque Traiectensis ecclesiae celeberrima collegia . . . . . . pancratice agunt.

ERGASILUS. eodem pacto ut comici servi solent coniciam in collum pallium. (Cf. Capt. 789 coniecto quidem est pallio).

Aluta 292. Spermologus Harpaga collegam frustra quaerens indignabundus exclamat:

Ignoro tamen ubi nebulo sese abstruserit,
Cui se popinae fornicive *immerserit.*
Nam ganeum lustravi unum et alterum.

Georgus quoque in Andrisca simile quid de Pono servo suo suspicatur (1165 sqq.).

An non ego insipiens, famelico viro
Qui argentum ad assam carnem emendam credidi?
Se *immerget* ipso in ganeo, atque proelia
Indicet hosti maxima.

Quis autem et Spermologo et Georgo hunc timorem iniecit? Menaechmus Plautinus (701 sqq.).

Nimis stulte dudum feci, quom marsuppium
Messenioni cum argento concredidi.
Immersit aliquo sese, credo, in ganeum.

Bass. 144. Si detulissem divites gravioribus
Obnoxios facinoribus, quos pensiles
Fecisset in fumario cet.
Cogitavit Macr. de pernis „quae pendent indemnatae"
(Capt. 908).

Rebellium et Alutae prologos Poenuli prologum exemplum habuisse iam observavit Bolte; patet hoc et ex tota compositione et ex locutionibus nonnullis, quales sunt imperator histricus, Dictator actus et choragus [1]) comici, edicta histrica, interdictiones histricae, imperator comicus, non ero alius (Poen. 126 alius nunc fieri volo); nonnulla tamen ex aliis fabulis sumpta admiscet, ut choragium comicum (Capt. 61).

Reb. 278 Dyscolus condiscipulo colaphum impingit cum hac blanda interrogatione: „En hoc volebas?" (cf. Most. 9).

---

[1]) Choragus tamen apud Plautum alio sensu usurpatur; est enim is qui histrionibus ornamenta locat.

Curc. 464. CHOR. Ornamenta quae locavi metuo ut possim recipere.

Trin. 858 ipse ornamenta a chorago haec sumpsit suo periculo. Cf. Persa 159.

As. 1591 Eumenius Colacem parasitum magna cum insolentia imperia sibi dantem sic admonet:

Certe emeris pluris cui sic imperes.
(Cf. Trin 1061 emere meliust cui imperes).

His addi possunt loci nonnulli ubi Macropedius vocabula vel locutiones adhibet, quae semel tantum a Plauto usurpantur; nam ut multi poetae, qui simul viri docti sunt, in antiquis poetis legendis et explicandis diu multumque versati, Macropedius τοῖς ἅπαξ εἰρημένοις delectatur. Adscribimus haec:

Asot. 24. Cui aes omne *confit* iuvenis ob lasciviam (Trin 408).
" 90. inexhaustus labor | haec occupavit *artua* (Men 855).

Idem vocabulum adhibet Reb. 781 Ios. 682.

Asot. 138. Accedit et inhonesta *famigeratio* (Trin 602).
" 151. *nugigerulis* (Aul. 525)[1].
" 98. his temporibus *albitudinem* accivi ocyus (Trin 874).
" 282. modo liceat per patris *severitudinem* (Epid. 609).
" 380. Et colaphi et alapae, et *ulmeus livor* manent Tribonium. Adduxi hunc locum ut observarem vocabula *livere*, *lividus*, *livor*, ubi de verberibus agitur, saepe a Macropedio adhiberi, apud veteres comicos non inveniri nisi Truc. 793: Iam *livorem* verbo scapulis istoc concinnas tuis.
" 428. Scelesti, inertes, *plagipatidae*, adhuc satis livet cutis? (Most. 356; Capt. 472 de parasitis).
" 499. *Albis quadrigis* evehor (Asin 279).
" 516, 1649. *ipsissimus*. Al. 439, 471 *ipsissima* (Trin 988).
" 1704. scortis blandulis *agglutinatus* (Men. 342 meretrices se applicant, *agglutinant*.

Al. 167 *bene ambula et redambula* (Capt. 900).
Andr. arg. 6 *suasu* (Pers. 597).
Laz. 626 *lolio victitare* (Mil 321).
Reb. 66. Petr. 21p *longam literam facere* = se suspendere (Aul. 77).
" 74. ne huius choragi in vos *crepent cottabi*.
" 243. Attat, ut in nos *creparent cottabi*,
Si exactius praeceptor inquireret ad unguem singula.
(Cf. Plaut. Trin. 1011 Cave sis tibi, ne bubuli in te *cottabi* crebri *crepent*).

Plautina persona citatur Petr. 449.

Huc profer lacertos, ne simul

---

[1]) Postea a Lambino mutatum in *nugivendis* cf. Non 144, 29.

Cum *Sosia Plautino* et ante cottabos *pugnos edas.*
(Plaut. Amph. 309 Quisquis homo huc profecto venerit, *pugnos edet*).
Hanc locutionem etiam adhibuit Reuchlin, Sergius 270.
Sequar virum, si mutiat *pugnos edet.*

Terentiana sunt haec:

As. 251. Occine aliam cantilenam (Phorm. 495).
„ 1005. Fratrem tamen mordere me palam, et alios
Mihi invidere clanculum, non perfero. [1])
(Eun. 410 invidere omnes mihi, mordere clanculum).
„ 1352. *Annus est* dum comitur (Heaut 240).
Hac. 1521. Dum tu pararis *annus est.*
Andr. 52—54:
Mihi nulla de argumento erit Comoediae
Praefatio, mox qui prodibunt huc viri
Bunscotii, partem indicabunt fabulae.

in memoriam revocant Adelphi 22 sqq:

Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae;
Senes qui primi venient, ei partem aperient,
In agendo partem ostendent. (cf. tamen Trin. 16 sq).

Andr. 752. Ut prorsus *ad restim res mihi redierit.* (Phorm. 686).
Hec. 1554. Iuvenibus insidiemur et *silicerniis* (Ad. 587).
Asot. 492. *Fors fortuna* (Phorm. 841).
Laz. 1265. Mancipia *rimosa* tibi ubique *perflua* (cf. Eun. 105 Plenus rimarum sum, hac atque Illac perfluo).

2. De Parasitis.

Ex iis locis, quos ex Asoto sumptos attulimus apparet tum praesertim Macropedium Plautinis vocabulis et locutionibus uti cum personae loquentes inducantur, quas ex antiqua comoedia in suas fabulas transtulerit, parasitos dico et servos. Parasiti in Macropedii fabulis prodeunt quatuor, Colax in Asoto, in Bassaro Creoborus, in Aluta Spermologus et Harpax, quorum alter a Macropedio scurra vocatur, et re vera ambo mixta

[1]) Confer etiam de Mortis Imagine 30: Clanculum hic mordet, palam te ille ridet.

quadam ex scurra et parasito sunt natura. Hi omnes Plautinos parasitos, imprimis Ergasilum, ex Captivis omnibus notum, in nonnullis etiam Gnathonem Terentianum exempla habent. Sed Macropedius, cum veterum parasitorum naturam et mores servet, in sermone tamen nequaquam totum se ad Plauti aut Terentii imitationem componit, sed plerumque mutare nonnulla, alia de suo addere, locutiones adhibere veteribus ignotas, novis imaginibus, comparationibus, metaphoris uti solet. Liceat mihi hoc nonnullis locis illustrare, in quo si paulo fusior videbor causa prolixitatis erit haec quod in Petrisco, quam huic dissertationi addidi, parasiti persona non invenitur.

In Captivis (vs. 901) Ergasilus parasitus, postquam bonum de filii reditu nuntium Hegioni seni attulit, omnium ciborum imperium nactus laetus exclamat:

> Illic hinc abiit, mihi rem summam credidit cibariam.

Nunc videamus quomodo haec a Macropedio amplificentur. Asot. 263:

> Rem credidit mihi totam, et argentariam
> Primum, et cibariam, sed et vinariam
> Oleariam atque obsonariam. Insuper
> Super omnia bona sua me herus constituit et
> Super famulicium suum. [1])

Apud Plautum Ergasilus sic pergit, Capt. 902:

> Di immortales, iam ut ego collos praetruncabo tegoribus!
> Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido,
> Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Audi nunc Creoborum, Bass. 933:

> O diva saturitas, lues quanta petasonibus imminet,
> O quanta pernis, sumini, farcimini, tomaculo!

---

[1]) *Olearius* subst. tantum apud Pl. invenitur, cella *vinaria* legitur, non *res vinaria* (ioci causa in Bass. Macr. habet *symbolum vinarium* 689 ut symbolum vinarium ex me torqueant). *Obsonariam* Macr. ad analogiam ipse cudit. Cetera ex Divina Scriptura sumpta sunt; Matth. 24, 25: Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Huius loci Macr. etiam memor fuit Asot. 389 nobis cibum Subtrahit, herus quem iusserat tempore stato nobis dari.

Aluta 294 Spermologus de collega suo Harpage haec praedicat:

Hoc equidem scio,
Ubi ubi sit, larido esse pestem maximam.

Audivimus modo Creoborum divam Saturitatem invocantem. Semel tantum haec dea apud Plautum nominatur (Capt. 877 Ita me amabit Sancta Saturitas). Sed ut multi qui veteres imitantur, Macropedius hoc habet ut quod semel ei placuerit saepius adhibeat. Itaque apud nostrum quotiens parasitus prodit in scaenam prodit quoque Sancta Saturitas.

Asot. 270. Beas, beas me, sancta saturitas mea.
„ 1542. Euax, saturitas sancta, Jupiter supreme, tu quoque,
Ter maxime o Portune, merito gratias tibi referam!
„ 1611. Hoc die meo Genio mihi sacrificandum erit
Sanctaeque Saturitati.
Al. 397. Ita sancta amet me Saturitas, scelestus es
Harpax. cf. Al. 88, Bass. 632.

Ut apud Plautum ita apud Macropedium parasiti perpetua fame cruciantur. Asot 211 sqq. Colax queritur in hunc modum:

Macritudine aegra maceror miserrimus;
Instar puerperae, gemellos quae edidit,
Flaccesco ventre, quatriduanam ob inediam.[1]

Cui respondet Comasta (Asot. 222):

Ego faciam hodie, ut tympani instar turgeat
Venter tuus, Colax, videberis quoque
Foetus iterum (ne fle) gemellis foetibus.

Postea plura etiam pollicetur. (Asot. 245):

Gaude, ingredi, faxo te heri penarium,
Ubi flaccidum modo pernulis, petasonibus,
Larido suillo et optimo vino tuum
Hunc sacculum saturavero, gaude modo.[2]

Deinde Colax, ut apud Plautum Ergasilus intromissus mag-

---

[1]) Capt. 133 tuo moerore maceror . . . .; ossa atque pellis sum miser a macritudine. Comparatio cum puerpera Plautina non est.

[2]) *Penarius* apud Macr. substantive ut apud Plaut. cellarius; *petasones* ex Varrone noti; *sacculus* pro ventre Plautinum non est.

nam ciborum stragem edit; quamobrem servus exsecratur eum his verbis. Asot. 298:

Et ipsum et ingluviem ipsius Diespiter
Perdat, qui in aedeis herileis irruit
Non aliter atque famelicus post quatridui
Ieiunium lupus. [1])

Animadvertimus ex his locis plerosque ubi Macropedius Plautum imitetur ex Asoto sumptos esse. In reliquis comoediis magis suus est noster. Lepidum colloquium est inter Spermologum et Harpaga (Aluta 92—114) quem locum quamquam perpauca insunt quae Plauto debentur, quia optime Macropedii ingenium, sermonis varietatem et vividam alacritatem ostendit facere non possum quin totum adscribam.

SPERMOLOGUS. Harpax obviust
Cuius quidem ventrem tam inanem ac flaccidum
Modo suspicor, quam pera pastoralis [2]) est
Sub vesperem. Harpax, ut tuae fortunulae
Se habent? Quid ovis cassa retis est? Nihil
Piscatum in hunc diem? HARP. Nihil. Pereo fame
Miserrimus nigerrima. Nunc tertius
Agitur dies, quo praeter holera putrida
E compitis conlecta nil gustaverim.
Quid multa? Venter meus hic tam flaccidus
Quam inanis haec retis cruci me destinat.
SPERM. In portu adest salus tibi; confidito.
HARP. Non fido, quando ab occidente et miseria
Ventus mihi flet iugiter. Vale! SP. Heus! H. Quid est?
SP. Si potis es, Harpax, callidus depromere
Id quod bibamus, faxo ego ut venter tuus
Tam flaccidus sesquipede iam exstet [3]) turgidus.
HARP. Vah, periit ars parasitica. Unde possies

---

1) Imitatur Macr. Capt. 909 sqq. ubi etiam parasitus cum lupo esuriente comparatur. *Famelicus* apud Plautum et Terentium de hominibus tantum usurpatur.

2) Cf. Vulg. Reg. I, 17,40 et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente et misit eos in *peram pastoralem*, quam habebat secum.

3) Videtur Macr. cogitasse de loco Pers. 1, 57: Cum tibi, Calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet;
Ubi tamen haec locutio non idem significat.

110. Sic ampliter consulere nostris ventribus
Tam inanibus? Sp. Scies, quum aqualiculum hunc tuum
Ut tympanum extensum cibo palpaveris.
Harp. An vera, Spermologe, refers? Sp. Verissima.
Harp. Ita sancta faxit Saturitas! [1])

Parasiti propter famem et inopiam nonnunquam animi despondentes de resti cogitant.

Al. 192. Sperm. Tute emeris
Altilia. Harp. Tute te magis suspenderis!
Cui nec obolus quidem est quo restim emam.

Et revera re admodum angusta sunt domi.

Bass. 330. Vix panem habet Creoborus hic quem devoret.

Et ut in Menaechmis Peniculus domi caricis suis contentus est, sic in Bassaro Creoborus nihil habet nisi iuglandes:

Bass. 160. Creob. Ita me iuvet Dea Saturitas
Beata, praeter sacculum iuglandium
...... domi est nihil. Bass. Nihil? Creob. Nihil.

Sed simulac bene coenandi spes affulsit animum recipiunt, et grandiloqui fiunt in pollicitationibus, quibus tamen non semper fidem faciunt:

Al. 185. Sperm. Te principem
Spermologus hic facturus est, si adsenseris.
Harp. Adsentior. Quod postea? Sp. Te nobilem hoc
Die — H. Licet. Sp. Regem — H. Licet. Sp. Croesum dabo.
H. Apage, vel oletum facito me, modo commodes!
Sp. Ego faxo, in ipsas Croesi opes mox irruas!
H. At Croeso misso nunc vel Harpaga satura!

Ut apud veteres comicos parasiti prae coena nihil flocci faciunt.

---

[1]) Praeter vocabula nonnulla de quibus infra dicendum erit. sola locutio in his quae Plauti admonet est „periit ars parasitica" (capt. 469 ilicet parasiticae arti maximam malam crucem). Lusus non illepidus in vocabulo *occidente* Plautinis iocis simillimus est, nec tamen quod sciam aut apud Plautum aut apud Terentium invenitur.

Asot. 219. Col. Audio, ventri meo
Si consulas, nam id unicum est quod me beat.

Bass. 130.

Bass. Creobore! Cr. Quis me nominat? B. Qui te colit.
Cr. Nugae! B. Qui amat. Cr. Bullae! B. Qui honorat. Cr. Fabulae!
B. Qui te nutrit. Cr. Pol hac beas sententia!

Coenae causa nihil non facere parati sunt.

Bass. 170. Quicquid voles futurus est
Creoborus, etiam si catellum iusseris
Fieri atque sub mensa ossa pronum rodere.

Ei qui coenam praebet nunquam obloquuntur, et cum Gnathone Terentiano imperaverunt sibi omnia assentari. Bass. 119:

Creob. Obtempero usque divitum tum legibus
Tum moribus, tum nutibus. Volunt, volo,
Negant, nego, et lingua bilancis facilior
Assentor usque et obsequor.

Itaque convicia quoque aequo animo accipiunt. Bass. 613 sqq.

Praeses. Ades,
Ignaviae praeses. Cr. Licet. Pr. Iactantiae
Princeps. Cr. Licet. Pr. Rex impudentiae. Cr. Licet.
Pr. Mendacium, voracium, rapacium
Et heluantium imperator, heus! Cr. Licet.
Pr. Adhucne ades tot praedicatus laudibus?
Cr. Adsum, quid est quod me iubebis exsequi?

Videmus ex his locis parasiti personam eandem fere esse atque apud Plautum, cui tamen in sermone debeantur pauca tantum; comparationes cum pera, reti, tympano, catello, lingua bilancis apud Plautum non inveniuntur.

---

3. De Servis.

Alterum hominum genus quod ex antiquorum proscenio in Macropedii fabulas migravit Servorum est, qui praecipue in Asoto mores suos antiquos servant. Servi sunt frugi aut nequam; illi de vitae suae laboribus conqueri et de officiis

suis philosophari solent, hi corrumpere herilem filium, semper timere ne quid senex resciscat. Servi sportulam ferentes [1]) opsonatum eunt, si quid deliquerunt virgis caeduntur, cruci etiam adiguntur; bene de hero meriti manumittuntur interdum. In servorum igitur sermone etiam nonnulla Plautina invenimus; sed hic quoque in imitando Macropedius varietatem quandam servat. — Servos apud veteres comicos ulmeis virgis caedi solere nemo nescit. Semel autem vocabulum *ulmeus* de ipsis qui caedendi sunt servis usurpatur: Asin. 263.

Mihi tibique interminatust nos futuros *ulmeos*.

Huius loci Macropedius meminit Laz. 1002.

LAEMARGUS. An non crebriter
Interminatus utrique sum, ne quemlibet
Quovis modo mendiculocum herilibus
Admitteretis aedibus? si quo minus,
Vos mox futuros *ulmeos*?

Placuit ei haec locutio; itaque saepius eam adhibet.

Asot. 294. COMASTA:
Ingredere, sequar, et omnibus praescripsero
Edicta heri atque interminabiles meas
Leges, quibus si verbulum obganniverint
Et *ulmei* et phoenicei faxo sient. [2])

Asot. 439. Nos *ulmeos* totos dabit, sescentoplagosque [3]) faciet.
„ 1441. Fecere me illi plagiarii [4]) senis totum *ulmeum*.

---

[1]) Lazarus 177 TRYPHERA. Emite duobus aut tribus aureis
Opsonia . . . . Cape sportulam.

Hec. 207. EPIC. Cape sportulam atque hos aureos solidos duos
Ex omnibus quae per macellum veneunt,
Quantum satist decem viris eme optima.

Cf. Men. 219. Sportulam cape atque argentum; eccos tris nummos habes.
Habeo. ER. Abi atque obsonium adfer; tribus vide quod sit satis.

[2]) Eiusdem loci et hic M. memorem fuisse patet ex vocabulo *interminabilis*, quod ipse cudit. Nonnullis autem verbis M. non plane eodem sensu utitur atque Plautus; ita *obgannire* apud Pl. non est obloqui sed semper eadem dicendo taedio enecare alqm.; phoenicei M. de suo addidit.

[3]) Capt. 726 *sescentoplago* nomen indetur tibi.

[4]) *Plagiarius* hoc sensu M. ipse finxit.

Reb. 247. Pol *ulmei* iamdudum uterque essemus et instar scabrae ovis perlividi.

Hec. 332. Nos interim curemus ea quae iusserat
Per singula exacte exsequi; si non velimus *ulmei*
Rebus quibuslibet imparatis reddier.

Ios. 421. Aegla, saeva Potipharis uxor etiam ancillis hoc modo minatur:

Curate quae mandaveram, nisi vesperi
Prorsus velitis *ulmeae* spectarier.

Similis locutio invenitur Andr. 1033.

Cave verbulo mihi occinas
Nisi tu quoque fieri velis mox *vimea.*

Deinde ut Plautus Rud. 636 *ulmeam* vindemiam dicit sic Macr. Petr. 455 *ulmeum* ferculum.

Asot. 158. *ulmea* verbera, 380 *ulmeus* livor.

Horribilem poenam qua nonnunquam servi apud antiquos affiiciebantur Cynopa mendicis minatur Laz. 753

Heus, abite nunc,
Si non velitis fustibus *lumbifragium* [1])
Mox perpeti.

Ut apud veteres sic apud Macropedium servi scapulis timent, nec mirum cum minas audiant huiusmodi: Asot. 335

Abi, abi hinc frutex,
Et expedi ocyus quae agenda in horreo,
Nisi *fustibus scapulas* velis metirier. [2])

Similem minationem legimus Laz. 406

Amolimini [3]) hinc,
Nisi *fustibus scapulas* velitis tundier.

Andr. 959. Ponus servus, herum fuste armatum videns perterritus exclamat „Vaeh, *scapulis* meis!"

Nec servorum tantum scapulae apud Macr. fustium periculo

---

[1]) Cf. Plaut. Amph. 454.

[2]) *Fustes* et *scapulae* saepe apud Pl.; *metirier* fortasse ex lingua vernacula sumptum (*iemand den rug meten*); *metiri* pass. non Plautinum.

[3]) Apud Pl. *se* amoliri.

obnoxiae sunt; in Asoto Colax quoque parasitus verberibus punitur: Asot. 916.

> EUM. Abducite,
> *Scapulas*que flagris caedite, ac dimittite. COL. Et quidem satis
> Digne, ut luant *scapulae* quod ante venter hic peccaverit.

Nae ipsas uxorum scapulas tutas non esse demonstrat locus hic: Reb. 125

> Vis de marito dicere,
> Qui vespere hesterno virenti verbere
> Coxas mihi *scapulas*que lividas dedit.

Non Plautina est minatio haec:
Laz. 1020.

> Hunc Lazarum (nisi abeat) ad corvos trahe,
> Nisi cute nova illico velis vestirier.

Servi apud Macropedium eadem atque apud Plautum convicia et audiunt ipsi et aliis ingerunt:

Hec. 211. Abi *frutex!* (semel apud Pl. Most. 12).

Andr. 345. Sile *frutex* et stirps inutilis (*stirps* apud veteres pro maledicto non usurpatur).

Asot. 1601. Fuge a meo aspectu, *trifurcifer*, in crucem tibi debitam. (*Trifurcifer* bis apud Pl. Apud M. septies. Ad analogiam huius vocabuli M. formavit *triverbero* (*verbero* non habet) Asot. 255, Reb. 619).

Laz. 383. Heus, *furcifer*, *scelerum caput*, quin advolas? (*Furcifer* etiam 5 aliis locis).

Asot. 410. Oeconomus dedit *mastigiae* huic mandata.

Bass. 458. Di superi et inferi et quod usquam est numinum sub sole
Et terreant, et puniant, et dissipent *trifurem* [1]).

Denique ironice etiam appellantur:

Ios. 852. *Bone vir,* ades, lepidumque mancipium meum!

Jos. 247. Potiphar Iosephum serio sic alloquitur:

> Mi chare Ioseph et domus *columen* meae.

Postea Aegla, Iosephum adulterii insimulans, sic dicit:

Ios. 851. Iam adest domus nostrae *columen,* interroga. (Cf. Ter. Phorm. 287. *Bone* custos, salve, *columen* vero familiae).

---

[1]) Plaut. Aul. 633.

4. Locutiones Plautinae.

Magis autem quam omnes quos hactenus commemoravimus locos Macropedii dictioni antiquum quendam colorem addunt locutiones complures apud veteres comicos usitatae, in quibus adhibendis noster non de certo aliquo Plauti aut Terentii loco cogitat, sed eas ita prorsus suas fecit ut plane in consuetum eius sermonem transierint et sua sponte occurrere et proferri videantur. Qualia nimirum aliquanto plura inveniuntur in iis fabulis quae proprie comoediae dicuntur quam quas illis temporibus „dramata sacra" vocabant. Neque ignoro ex his locutionibus plerasque non a poetis comicis excogitatas sed ex sermone quotidiano sumptas esse, sed ut nobis ita Macropedii aequalibus ipse ille sermo quotidianus e comicorum praesertim fabulis cognoscendus erat et cognoscebatur. Harum locutionum genera sunt haec:

1. *Imperativi.* Vide sis, cave sis, apage sis, adsis tempori, sta paululum, sile [1]) parum (parumper), os opprime, cedo manum, actutum redi, i prae, sequor; praei, sequar; habe bonum animum.

2. *Interrogationes.* Quid me vis? Numquid aliud me vis? quidum? vin? viden? sed audin? ain vero? Quis loquitur hic? Tune hic eras? Cuia vox prope me sonat? Quid cesso compellare? Quis (ecquis) aperiet ostium hoc? Quid mussitas?

3. *Brevia responsa.* Ero ut voles, curabitur, factum puta, memorem mones, iam hic ero, quid audio? quod res; egone? tunae.

4. *Exclamationes* et *interiectiones* Amabo, atat, ecastor, mecastor, eho, ehodum, euge, euge, factum probe; hahahae, hem, hem tibi, malum, nugae, obsecro, tuam fidem obsecro, occidi, occidi miserrima, perii, interii, pol, aedepol.

5. *Exsecrationes* et *minae.* Abi in malam crucem, in malam

---

[1]) Apud veteres tamen *tace* parumper; *silendi* verbo perraro Pl. et Ter. utuntur.

rem, in rem pessimam [1]), vaeh capiti tuo, at te Iupiter perduat. Di te perduant (contra: di te ament).

6. *Varia.* Compendium face, compendium volo dictis, compendio dictis opus, compendio dicam, nugas agis, os oblinere alicui, est quod te volo, curriculum fac, habet me pessime, verba dare alicui, sunt in vado spes meae, genio indulgere, se in pedes dare, deperire aliquam, quid tibi curatio est rerum mearum? fores crepunt [2]), ostium crepuit ab aliquo, ad sacculum adigere alqm.

Ex his locutionibus nonnullae semel, pleraeque tamen saepius a Macr. adhibentur; locos afferre putidum putavimus. Exempli causa paucos tamen adscribimus versus, qui aut toti aut magna ex parte ex Plautinis locutionibus constant:

As. 205. Comasta, nunc te proripe actutum domum.
„ 254. Nugas agis, trifurcifer, dimitte me.
„ 309. Tune hic eras, Comasta? Quid me vis?
„ 322. Quae igitur foris rerum tibi curatio est?
„ 1395. Ut conspicor
Mihi data verba proripio me in ganeum.
Al. 126. Sed Audin? — Hem — Adsis tempori — Memorem mones.
„ 136. Quid cesso compellare? Adesdum, adesdum, ohe!

Huc addi possunt loci qualis est Al. 390.

Per Herculem scelestiorem neminem
Vidi hoc homine.
As. 703. Hoc homine confidentiorem neminem
Puto esse in hoc loco nec unquam gentium.

Ubi cui non statim Plauti in mentem venit?

5. Verba et verborum formae.

Locutionibus enumeratis pergimus ad singula vocabula. Ac primum quidem *verba* quae aut solum aut saepe apud veteres

[1]) Apud Macr. etiam *ad corvos* (εἰς κόρακας) quod apud Pl. et Ter. non invenitur.

[2]) Apud M. etiam fores *strident*, quod non faciunt apud Plautum.

comicos inveniuntur recensebimus. Sunt autem haec: abligurire (Ter.), amittere = mittere, dimittere, apisci, aspellere, autumare, amolimini, beare (saepissime), dare = reddere, discrucior (animi), disperdere, edormiscat, enecas, expetessitis, graecarier, pergraecarier, graecissas, habere = habitare, inceptat, indipisci, interminari, internecare, interturbat, lactare, ludificari, mussitare, obgannire, occipere, occeptare, percupere (Ter.), praehensus (in furto), praestinare, proloqui (in rem alicuius), se proripere, palpare, pappare, restitare (Ter.), subolent, suboluit, suffarcinare, suffarcinatus, suffuratus, suppilatus, sustollet.

Prisco more scribuntur: advortere, animadvortere, antevortere, praevortere, revortier, accersire, intuor.

Verborum formae: ausim, dice, face, estur, increpaverim, mavelim, mavelis, potis, potissim, dixti, reduxti(s), subduxti, surpui(t), sultis, tetulerit.

Aoristi [1]*:* curassis, servassint, faxo, faxis, faxit, faxint, dixis.

Futura et Imperfecta: audibo, infarcibitis, erudibat, scibitis, rescibo.

Coniunctivi: siem, sies, siet, sient, adsiem, adsies, adsiet, adsient, obsiem, obsiet, possiem, possies, possiet, fuas, fuat, fuant, duant, creduam, creduas, creduat, creduant, perduam, perduas, perduant, creduis, duit.

De nonnullis formis pauca dicenda videntur.

Amittere = mittere in Asoto legitur sexies; semel in Andrisca (688).

Hydriam viro
Obtrusero, atque ad hauriendum *amisero.*

Semel in Hecasto (320).

Tantisper ergo moremur hic, dum redeat is qui *amissus* est.

Dare = reddere quinquies inveni e. gr. Asot. 231.

Noli Colax
Irascier, nam te velut omasum *dabo*
Sub hoc die fartissimum.

---

[1]) Vide Speyer, introductio in Captivos pg. 29—31.

Habere = habitare Reb. 159.

Sat doctum ad aedem Hieronymo sacram ferunt
Mitemque gymnasiarchum *habere.*

Faxo aut per se adhibetur, aut cum coniunctivo coniungitur, nonnunquam addito *ut.* Asot. 846.

Faxo in malis sociae, et bonis fruamini.

Laz. 642.

Iam faxo ut suscipiar ipse in atrium
Vos velut inertes longius abigamini.

Non comparent apud Plautum *duant*, *perduam*, *perduas*, *perduant*, quos Macrop. formavit ut *creduam*, cet. quae apud Pl. inveniuntur. Futura quoque nonnulla hoc modo fecit. In Adamo Goliath Davidi minatur verbis his (1559 sq.).

Te bestiis
Omnesque Apellas devorandos *traduam.*

Cf. in eadem fabula 433 desperatio . . . quae Caina *perduet* et Ies. Schol. 50 num *tradues* te olim necandum ut victimam?

6. De Infinitivis in — ier exeuntibus.

Infinitivos in — *ier* tam saepe usurpat Macropedius ut iis paene abuti iudicari possit. Nam cum apud Plautum 175, apud Terentium 40 [1]) eiusmodi formae inveniantur apud Macropedium 335 fere notavi [2]). Harum circiter dimidia pars (170) primae est coniugationis; frequentissime leguntur venerarier 7, morarier 6, probarier 6, versarier 6, vocarier 5, epularier 4, ientarier 3, baccharier 3, mactarier 3, moecharier 3, dominarier 3, curarier 3, servarier 3; secundae coniugationis sunt 24, velut mederier 5, viderier 4, haberier 3, exhiberier 2, tuerier 2, intuerier 2; tertiae coniugationis 108 ex quibus saepissime adhibentur dicier 7, composita verbi ducier, adducier 4,

---

[1]) Vide F. Neue, Formenlehre der Lat. Spr. II, 407—408.
[2]) Summa versiculorum Plauti 21322, Terentii 6096, Macropedii 17929

educier 3, inducier 3, perducier, producier 8, reducier 2, traducier 3; semel inveniuntur mittier, committier, dimittier, promittier, remittier 2; huc pertinent etiam multae formae inchoativae, ut obliviscier 6, irascier 6, vescier 3, ignoscier 2, nanciscier 2, pascier 2, proficiscier 2, cet; quartae coniugationis 29, ut molirier 3, aperirier 2, experirier 3, reperirier 1, operirier 2, opperirier 2, impartirier 3, largirier 2, elargirier 2, cet.

Tales formae a Macr. usurpantur:

In Senariis. Syllabae — *ier* in paribus pedibus locum suum habere solent, et quidem in pede sexto 153, in quarto 57, in secundo 54.[1]) Afferam exempla nonnulla, quae simul quomodo hae formae in paucis versibus nonnunquam accumulentur demonstrabunt.

Asot. 194. Ast *epularier*, *baccharier*
Scortarier, lactare herilem filium
Novi probe, lepideque *manticularier*
Soleo senem, sublinere et os offuciis.

Ad. 1118. Quid mentis heu mihi siet, quae filios
Video meos *lapidarier*, vel audio
Igni sacro *vorarier*, quos illico
Videbimus (uti suspicor) cadaverum
More eici, a canibusque *dilaniarier*.

Hec. 1921. Num tu sines
Hoc delicatum, amabilem et pulcherrimum
Corpus tuum *corrumpier*, putrescere
*Terebrarier*que vermibus?

Ies. Schol. 317. Seorsum enim
Revertier solent parentes approbi
Et liberi quibuslibet *sociarier*.

In Iosepho, ubi multae (65) huiusmodi formae inveniuntur ter binas legimus in singulis versibus.

---

[1]) Apud veteres hae formae ultimam versus sedem occupare solent; decem ante caesuram inveniuntur, tres tantum aliis locis. (Lorenz ad Most. 951).

Ios. 579. At quidlibet satius pati, quam per stuprum
Foedarier, heri quoque *obliviscier*.
890. Quasi is non audeat
Mentirier, qui haud veritur *moecharier?*

(Tertius locus infra citabitur. Cf. etiam Petr. 256).

Perraro syllabae — *ier* cadunt in pedem tertium aut quintum. Exempla sunt haec; in pede tertio:

Andr. 837. CAUPO. Profecto, Andrisca, non tibi suadeam
Iam cum viro contendere aut confligere.
ANDR. Profecto, caupo, audebo tanto fortius
Nedum [1]) *renitier*, sed etiam caestibus
Confligere.
Hec. 1920. Egone queam *inducier* ut istuc creduam.
Asot. 1299.
Vidimus eas huic excipi perblanditer,
Affabulari mollius, suavissime
Quoque *oscularier*. — Quo loci perductus est?

In pede quinto.

Ios. 585. Nos interim vult *erudirier* foris.
Asot. 786. Nihilque in his non *comminiscier* licet.

In thesi Andr. 324.

ANDR. Abi. GEORG. Volo uxor et ipse *vescier* et cibum
Quem deferam servo laboranti mihi
Largirier.

In Octonariis 35 reperiuntur, et quidem in pede octavo 13, in sexto 7, in quarto 8, in secundo 3. Hic quoque perraro in imparibus pedibus; semel tantum in septimo, in quinto ter, in tertio nulla huiusmodi forma invenitur. Exempla:

As. 886. Praeterque abusum filii *furarier*, *baccharier*,
Scortarier quoque.
Ios. 1874. Eductum Ioseph publico praeconio per plateas
Nostro iubebis nomine Σωτῆρα κόσμου *dicier*,
Venerarier [2]) genuque flexo ab omnibus *adorarier*.

---

[1]) *Nedum* pro *non solum* rarum apud veteres.

[2]) *Venerari* pass. non vidi apud veteres; *venerare* act. bis apud Plautum

In pede septimo Ios. 1966.

Si *copularier* meo
Princeps volet generi infimo, absit ut negemus quippiam.

In pede quinto Reb. 563.

Si et mihi liceat *augurarier*, Dromellula dicitur.

In thesi Reb. 782.

Iam deficit animus, labascunt omnia artua, nullus est
Sensus. Utinam adsit. Heu *morarier* et sedere cogimur.

In Septenariis semel tantum infinitivi exitus -ier invenitur et quidem in pede sexto. Bass. 484.

Vade citius si fors queat *praevortier* puella.

In dimetris iambicis, quibus plerumque in choris utitur Macropedius, tales infinitivi inveniuntur 19, ex quibus 18 in pede quarto, unus tantum in pede secundo. Exempla:

Asot. 1080. Servum fidelem hero decet
Rem creditam *tuerier*,
Vigilem, modestum, sobrium
Absentem herum *morarier*.
Andr. 261. Ne ergo erubescat agricola
Ab ineptulis *riderier*,
Sed glorietur se viris
Potioribus *probarier*.

In secundo pede Asot. 1074.

Non poterit haec pecunia
Expendier sine foenore.

Ne in lyricis quidem carminibus Macr. has formas aspernatur; in Cantilena anni 51 inveniuntur quatuor.

49. Quae mens, quae poterat lingua retexere,
Quis vel quantus amor pectora virginis
Strinxit, cum aspiceret aetherei patris
Ex se pignora *nascier*.
Tum complexa suum strinxit ad oscula
Gnatum, plena deo strinxit ad ubera
Et flentis lachrymis collachrymat pie,
Nec quivit *satiarier*.

73. At qui christicola verus *haberier*
Optas.
129. Pascent te miseris qui *misererier*
Propensi fuerint.

7. De Futuro Exacto.

Consuetudinem veterum comicorum in hoc quoque sequitur Macropedius quod futurum exactum saepe sic adhibet ut a futuro simplici aut paulum aut nihil differre videatur. Sed hic quoque magistros suos longe superat numero, nam huiusmodi futuri exacti formas notavi fere quadringentas [1]). Harum sunt primae personae singularis 275 fere, secundae 29, tertiae 66, tertiae pluralis 27, primae pluralis quatuor [2]), secundae pluralis non inveniuntur. Pleraeque formae (250) ultimam versus occupant sedem, 150 fere in aliis pedibus collocatae sunt.

Consuetudinem veterum comicorum in fut. exact. adhibendo explicavit Madvigius Opusc. Acad. II pag. 81—97. Omnes autem usus et significationis varietates quas apud Plautum et Terentium detexit vir clarissimus apud Macropedium quoque indicari possunt. Quod exemplis demonstrabimus. Fut. exact. igitur apud M. saepe 1 „eventum fructumve rei praedicit".

e. gr. Al. 177. *Periero* fame, ni redeat emptor illico,
Andr. 377. Nisi uxor extruxit pyram *defecero.*
Laz. 812 Nam si mihi
Defuerit hoc die edulium, non *vixero*
Usque in crastinum.
Asot. 639. Quapropter hanc licentiam
Oportet esse coercitam,
Alioqui ephebos criminum
Tandem in barathrum *merserit.*
Asot. 166. Tamen omnibus non ut velim *conduxero*
= apparebit me conduxisse.

1) In his non numeravi eas, quae pro perfect. coni. haberi possunt, quod apud M. non semper facile diiudicatur.

2) Reb. 156 alioqui *abstulerimus* liberos; 447 *caverimus* amodo; Ios. 1222 sic *fecerimus* honestius; Hec. 1225 si fors tua *indiguerimus* opera.

2. „Celeritatis notionem habet".

Hec. 373. Panocne, heram evoca! — *Vocavero.*

3. Nonnunquam fut. exact. adhibetur ut indicet „notionem actionis futurae cum altera quodammodo connexae", ita ut nonnunquam altera alterius causa haberi possit. Asot. 1342.

Egero consultius si *solvero* sic clanculum.

Reb. 33 a scopo paulo minus *aberravero*,
Impendiis si *derogavero* pauperum. [1]

4. Fut. exact. ponitur de eo „quod quis interim dum aliud quid fit, aliquantisper facit".

Laz 1284. *Subduxero* me aliquantulum.

5. „Rei dilationem significat" (saepe adiecto adv. *mox*).

Ies. Schol. 1006. Tempore suo *probavero.*
Bass. 449. Rem omnem tibi intus *dixero.* [2]
Jos. 957. Te mox omnibus *praefecero.*

Omnino fut. exact. maiore cum vi affirmare rem videtur quam futurum simplex [3]). Idcirco saepe invenitur: a, in *pollicitationibus*; b, in *minationibus*; c, in *negationibus*; d, in acrioribus *interrogationibus.*

a. Ita Ioseph Aeglae dominae suae suavissimis blanditiis ad adulterium elicere se conanti sic respondet: 530 sqq.

Si canere vis
Me, *cecinero*, saltare vis, *saltavero*,
Verum ad cubile neutiquam me *illexeris.*

Aegla autem haec ei promittit: 539 sqq.

Ego te viro meo usque *commendavero*,
Ego te familiarem Parhoni *effecero*,
Ego servituti qua premeris *exemero.*

Deinde vero sic pergit:

Per me bonis quam plurimis ditaberis,
Per me laboribus omnibus levaberis.
Per meque ad altiora promoveberis.

---

[1]) Cf. Petr. 150.
[2]) Cf. Bass. 754, 759, 1014. Adam 1333.
[3]) Cf. Lorenz ad Most. 573.

b. Minationes multae proferuntur in Andrisca, in quibus ut in promissis futura exacta nonnunquam accumulari videmus. Uxori adulterae sic minatur Byrsocopus (Andr. 833 sqq).

> Nudata membra his acribus petam flagris,
> *Cecidero*, *laniavero*, *foedavero*,
> Ut ne amplius quidem locus sit vulneri,
> Tum sic cruenta membra sale *confricuero*,
> Confricta huic includam equino tergori.

Hec. 658 divinus legatus his verbis utitur:

> Divina virtus celeriter te *eliserit*,
> Te *extruserit*, te *eraserit*, te *extinxerit*.

c. Iam in iis quos ex Iosepho citavimus versibus fut. exact. videmus post *neutiquam*; sic etiam:

> Bass. 584. Ex hoc asylo *neutiquam* me *moverint*.
> Hec. 318. res *neutiquam processerit*.
> Ad. 1056. Tu *neutiquam* manus meas *evaseris*.
> Cf. quoque Bass. 594, Hec. 1662, 1625.

Post alias negationes:

> Bass. 577. Me *nullus* hinc *turbaverit*.
> Asot. 568. Salvae meae res sunt, teruncii caeteros *non fecero*.
> Ad. 180. Hodie manus *nusquam* meas *evaserit*.
> Laz. 862. At propter illum infecta res non *manserit*.
> Hec. 1711. Illa *nihil conduxerint*.

d. In interrogationibus:

> Ad. 1789. *Numquid* Deo
> Tu terminum miserationum *fixeris?*
> Hec. 1084. *Quo fugero?* et si *fugero*, haud *effugero*.

Postremo Macropedius fut. exact. saepius utitur in nonnullis locutionibus praecedente adverbio *sic*, velut *sic egero*, *sic dixero*, *sic fecero*.

Haec omnia quamquam pluribus exemplis illustrare possumus tamen vix tertia pars earum quas notavimus formarum ad haec genera aliquo modo revocari vel potius cogi possunt. Iam in nonnullis ex iis quos citavimus locis fut. exact. et fut. simplex promiscue adhiberi videmus, et in longe plurimis locis ubi fut. exact. invenitur dici non potest quid a fut. simplici

differat [1]). Macropedium ipsum in his temporibus adhibendis nullum discrimen fecisse patet etiam ex loco Lazari ubi Davidis psalmus 85 metro glyconico redditur. Vulgata haec habet: (versus 12) „Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in aeternum". Quae redduntur in hunc modum Laz. 468.

Toto in cordo meo Deus
Meus te *celebravero*,
Atque *glorificavero*
Nomen perpetuo tuum.

Statuendum ergo videtur Macropedium fut. exact. plerumque propterea tantum quod metro accomodatius esset et pleniorem praeberet sonum praetulisse.

---

8. De Imperativis in — to exeuntibus.

Macropedii sermo in hoc quoque cum veterum comicorum consuetudine congruit quod Futuro Imperativi eadem significatione atque Praesenti utitur et nonnunquam utrumque coniungit [2]).

De significatione patet ex locis qualis est Petr. 798

Nunc sine mora *accedito.*

Utrumque tempus coniunctum videmus Petr. 68

pareto, *abi.*

Asot. 1011. Lasciviam *fuge* et otium, *curato* rem
Domesticam, fratri *ades* in agro, in vinea.

Andr. 717. Meam reposco, *reddito*, aut
Prodi foras et *redde* rationem, quid hanc
Tibi vendices.

---

[1]) Simile iudicium de veterum comicorum usu tulit Madvigius l.l. pg. 93. „Neque negari ullo modo potest, separatis iis quos posui locis et si qui similes sunt, magnum tamen relinqui numerum apud Plautum, nonnullos apud Terentium, in quibus nullum prorsus discrimen utriusque futuri appareat."

[2]) De Plauti et Ter. usu vide Lorenz ad Most. 407.

et aliis locis. Saepe tales formae cumulantur, velut Asot. 1631.

Nunc irrue in carnarium et vibicibus cataplasmata
Imponito, *edito*, *bibito*, donec vixeris domi meae.

Al. 49. *Attendito*, *auscultato* et *advertito* animum.

(Etiam formis in — tor exeuntibus satis saepe M. utitur. Ios. 1175 ne irascitor; I. S. 1129 alloquitor, valeque dicito; Petr. 201 caeditor Andr. 974 amolitor; 1172 tunditor; Bass. 737 revertitor; Hyp. 843 convescitor; Sec. pers. plur. invenitur Hec. 349 sequiminor).

---

9. De reliquis vocabulis Plautinis.

Verbis verborumque formis pertractatis venimus ad reliqua vocabula.

Substantiva quae praecipue apud veteres comicos inveniuntur praeter ea quae supra notavimus habet Macr. haec [1]):

Congerro Reb. 166, Petr. 727 *duellum* Asot. 1530; *gnatus* passim; *ganeum* pro ganea saepe; *infortunium* saepe; *legirupio* Ad. 1058; *macritudo* Asot. 211 *marsupium* Laz. 605; *nervus* (= carcer) Petr. 550 Asot. 1768; *remora* saepius; *veriverbium* Ios. 1502 *vuluptuarii* Al. 70 Laz. 1024 *bolus* Bass. 227 Si posset hoc lauto bolo spoliarier.

Adiectiva e comicis sumpta sunt haec:

Condignus Reb. 29 *confidentior* As. 703 res *carcerarias* Ios. 1516 *dapsilis* Bass. 550 Laz. 186, 940, 1306 *electilis* Laz. 544 Ut eum suae pingues ofellae electilesque stragulent! *herilis* passim (herilis filius, herile imperium, herilia iurgia Andr. 977), *impurissime* Reb. 540 *lenonius* As. 3 ira *percitus* saepius; *penitissumus* As. 715, *perpetem* Ad. 1314 *perpeti* Ad. 2080, Hec. 742 *subdolus*, saepius; *nihili* (viri) Asot. 147 cet.

Pauca adiungimus de declinatione:

Formae priscae quales apud comicos inveniuntur, sunt: *luctuis*, *sexuis*; saepius habet formas tertiae declin. in — *eis*, velut *aedeis herileis*, *aureis*, *foreis*, *fusteis*, *graveis*, *ingenteis*, *omneis*, *rebelleis*, *treis*. Sic etiam *heic* adverb. Ad. 1289.

Pronomina:

Pro forma *ipse* saepissime utitur Macr. forma *ipsus;* enclitica — *pte* etiam primae et secundae personarum pronominibus adiungitur, *tuopte*, *meopte*, *tuapte*, etiam *eapte*. Petr. 140; *stac* Laz. 201 Tu *stac* prius me veste purpurea indue.

---

[1]) Nonnulla in capitibus de deminutivis, conviciis, blanditiis tractabuntur.

Formis *eccum*, *eccam*, *eccos*, *eccas* quas saepe praecedit coniunctio *sed* Macropedius alias eodem modo atque Plautus, alias paulo aliter utitur. Plautinae consuetudinis exempla sunt haec:

Asot. 992.	Sed *eccum* adest tumens, ira percitus.
Al. 506.	*eccum* adest, indutus albo supparo.
Petr. 1125.	*eccum* redit Liturgus.
Bass. 260.	sed *eccum*, egreditur.
Hec. 1876.	*eccos*, simul familia tota proruit.
Hyp. 130.	*eccos*, parant miserum modo virum aggredi.
Andr. 198.	Sed *eccas* prodeunt Mimallones.
Asot. 810.	*Eccas*, propelluntur foras meretriculae.
„ 1235.	Sed *eccas*, utraque fertur obvia.
Andr. 155.	Sed *eccam*, Andrisca adest.
Reb. 111.	Sed commodum *eccam* obambulat mihi eminus.
„ 356.	Sed *eccam* Cacolalia venit obviam.

In omnibus his exemplis hae formae ut interiectiones, nullam vim habent in reliquae sententiae constructionem. Asot. 1761 Plautino more sequitur nomen proprium in Accusativo: *cccum* Merimnum. Sed apud Macrop. eodem modo etiam nomina appellativa ponuntur:

Andr. 509 *eccum virum*, quem linteo subduxeram; Reb. 57ˣ sed *eccos liberos;* Bass. 456 *eccos duos*, audire gestio quid dixerint; Petr. 871 *eccas amiculas*, forem observant.

Saepius quoque sequitur *eum* vel *eam*:

Asot. 1221. Sed *eccum eum*, quem in compitis et ganeis quaesivimus; Ad. 190. Sed *eccum eum*, quem fulmine extinctum velim; Asot. 1216 *eccum eum* procul. Andr. 311. Sed *eccam eam*, temulenta prodit. Ios. 62. Sed *eccam eam*, nostram moram redarguet.

Adverbia Plautina:

Commodum Asot. 1123. Sed commodum, strident fores, videbo clam Ab angulo quis exeat, et multis aliis locis. *Dum* post imperativos et qui; *siletedum* Reb. 350; *adesdum* passim; *abitodum* Petr. 337; *recludedum* Al. 275; *aperitedum* Bass. 705; *cavedum* Reb. 69 cet; *quidum* Reb. 268, Bass. 892 et aliis locis. *Modo* post imperat. *gaude modo*, *sile modo*, *dic modo*, *dic agedum modo*, *quid volt modo*? *donicum*. Al. 430 cet. *fortassis* Bass 102 cet.; *mage* saepe; *volupe* As. 1200, Hec. 123, Andr. 699.

10. Constructiones Plautinae.

Nonnullae constructiones, quibus utitur Macropedius, quamquam etiam apud alios scriptores nonnunquam inveniuntur, tamen ad comicorum potissimum consuetudinem referendae videntur. Ac primum quidem persaepe Indicativum habet in quaestione indirecta [1]), eumque nonnunquam cum coniunctivo coniungit. Exempla:

As. 1390. Rogo si Asotus intus *est*; 1155 viso si qua navis *est* milesia hoc die solutura; 818 vide ut mea tumida *est livet*que verberibus cutis; 910 Donec sciam qua afflictione insigniter *multabitur;* Reb. 176 Scio quid utriusque *decrevit* parens; 200 Iuvenibus ego novi quid omnibus *expedit;* 533 Libet obiter auscultare, quid loqui *occipit;* Andr. 73. Sat scio equidem quam ad pocula et convivia *es* propensa; 314 quid *aget* videbo; I. S. 149 Sed audiamus praeco quid dicturus *est*. Multo plura exempla afferri possunt; cf. Petr. 136, 238, 370, 1157, 1212, 1224, 1396, 48ˣ.

In nonnullis exemplis Ind. et Coni. coniunguntur; uter modus adhibeatur saepe metri necessitas decernit.

Asot. 1301. An perductus *est* an *duxerit* mage nescio.
Petr. 612. Scis cur puer percussus *est?* Quid *fecerit?*
Hyp. 297. Ex his Iobe colligis quam insignis *est*
Adeoque tibi cum ceteris in omnibus
Veneranda et observanda *sit* patientia.
„ 595. Novit Deus quos ignibus *reservet* et
Quos gloria ac honore decoraturus *est*.

Altera constructio est *opust* cum participio.

Asot. 82. Quod maxime *curato* opust.
Reb. 521. Quidnam *facto* opust?
Andr. 683. Quid *dicto* opust? quod *facto* opust.

Tertia denique *oportet* cum participio.

Al. 34. Quod ante oportuit *factum*.
Petr. 194. Mater quam huc *advocatam* oportuit.
Al. 36. Paene excidit quod *dictum* oportuit.
Andr. 328. Iam *coctum* aliquid oportuit.
Bass. 662. Quod maxime *praedictum* oportuit.

---

[1]) In hoc negligentiores erant Macropedii aequales. Ita Reuchlinus scribit: Vide, mi frater, quanta circumspectione vitam *duxi*; BURCKHARDT l. l. pag. 144.

11. Imitationes.

Restat ut pauca dicenda videantur de nonnullis vocabulis a Macropedio Plautino more formatis. Ac voces *interminabilis*, *obsonaria*, *vimea* pro ulmea, *triverbero* iam antea laudatae sunt. *Bibesius* fictum est ut amasius As. 286 bibesii voluptuarii Andr. 508 Ubi modo meus bibesius? (Bibesia regionis poeticae nomen Plaut. curc. 444).

Ut Plautus multa vocabula habet in — trix, ita Macr. finxit *expultrix* et *sciscitatrix* in his versibus, qui Plautinum plane sonum praebent.

Andr. 465. Quid tibi malum curatio est
Rerum mearum, pessima expultrix viri?
Hec. 156. Ut te Iuppiter mala sciscitatrix perduat.

Ut Plaut. Trin. 148 *si taceas loquar*, ita Macrop. Asot. 227. *Tum audies cum silueris.*

CAPUT II.

Vocabula prisca vel rariora, e grammaticis pleraque petita.

Quamquam multa vocabula prisca vel rariora quae apud Macropedium scripta videmus etiam apud veteres comicos inveniuntur, non omnia tamen quibus utitur noster ex illo fonte hausta sunt. Nam postquam literis renatis grammatices manualia horrida et barbara, quae per multa saecula in scholis monasticis trita erant, abolita et e scholis eiecta sunt, ad veteres grammaticos se contulerunt viri docti, Gellium, Festum, Nonium, Priscianum, unde veram Latinitatis cognitionem peterent. Horum libros sedulo evolvere et excerpere solebant, verba rariora apud eos inventa diligenter notabant et ediscebant, quae deinde in suis operibus adhiberent. [1]) Multa talia habet

[1]) REUCHLIN, Praefatio Libri primi Rud. Hebr. „Posteaquam anno aetatis meae duodevigesimo Prisciani Caesariensis literaria studia in schola Parisiorum aggressus sum" cet.

Reuchlinus in comoediis suis, velut in Sergio: 113 *appetones*, 118 *pulpo*, 117 *popinonem*, 270 *edones*, 274 *raponum*, 231 *poetari*, 243 *pullastra*, 259 *fabulino*, 478 *calvuntur*, cet. Inter haec nonnulla sunt quae apud seriores Romanorum scriptores recurrunt. Cuius rei duae sunt causae, prior quod ex iis scriptoribus multi de industria prisca vocabula venabantur ita ut multa etiam suis temporibus iampridem obsoleta adhiberent, altera quod bona pars illorum vocabulorum sermonis quotidiani et vulgaris erat; haec autem vocabula a Plauto, Terentio aliisque vetustioribus poetis in fabulas suas adhibita cum a Cicerone eiusque aequalibus, elegantius scribendi genus colentibus spreta essent a posterioribus scriptoribus iterum recepta et restituta sunt. Macropedius tamen huiusmodi vocabula multo parcius adhibet quam Reuchlin; ea quae apud nostrum notavi sunt haec:

Flagrio (Non. 28, 27 flagriones dicti servi quod flagris subiecti sunt, ut verberones a verberibus).

Asot. 460. Scis flagriones hos duos,
Quos fuste deturbavi ab aedibus cet.

Ad. 1259. Poenas flagrio daturus es.

blaterare — hoc vocabulum sermonis vulgaris est.

Hec. 118. Nugas agunt qui haec blaterant.

(In posteriore editione legitur blacterant, in priore *blactiunt*; *blatire* ter apud Plautum). *combibones* Laz. 936 (Lucilius apud Non. Cic. fam. 9, 25, 2). *fruiscier* Laz. 678, 680 *fruisci* Hec. 654 Hyp. 1024. Ita Macr. temporibus legebatur pro *frunisci* (Paul. Diac. Gell. Non. Tamen Plautus quoque Rud. 1012).

Manticulari Asot. 196 lepide manticularier soleo senem (Festus, Appul.) *pedepressim* (= pedetemptim Non). Asot. 287 Induce per posticulum pedepressim; *nuperrimus* (Prisc) Asot. 420 me miserum, adhuc livet cutis plagis nuperrimis; *incitabulum* As. 1347 almae Veneris incitabulum (Gell.) *potestur*. (Pacuv. apud Non. Lucr. 3, 1010) Asot. 1453 Livida cutis curarier facillime potestur; *conspicari* passive (Varro apud Prisc.) Reb. 64[x] quam pudet sic conspicari saucium; *retaliare* (Gell.) Petr. 444 retaliabo si queam; *requie* (Sallust apud Prisc.) Petr. 1385 reliquum diem in requie agamus. *obstringilare* Andr. 937 Te obstringilent cacodaemones. (Non. 147, 10 haec habet: Obstringillare = obstare. Ennius Sat. lib. II Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obagitant. Macr. tamen hoc verbum ita adhibet ut

sit = laqueo obstringere). *Epulo* = heluo (App.) Laz. 52 Qui iacuit hulcerosus ante divitis epulonis ostia. *Scobs.* (Prisc.) Laz. 251.

Explodor usque ab omnibus, non aliter ac
Scobs aut peripsema abiicior inutilis.

Repedare (Fest. Non. Paul. Diac.) Laz. 285 Lento gradu repedat ob aegritudinem; *buttubatta* (Naevius pro nugatoriis posuit, hoc est, nullius dignationis Paul. Diac. p. 36, 6). Laz. 1253 Introductus est paulo prius Huc Buttubatta exoticus. (Fortasse hoc vocabulum Macr. sumpsit a Reuchlino, cuius in Sergio una ex personis hoc habet nomen. Serg. 8 Nam Buttubatta repperisse creditur Calvariam cuiusdam anilis Sergii). *Nullatenus* (Fulgent). Ios. 444 Pudicus in stuprum nullatenus consentiet *approbus* (Caec. apud Gell.) Ios. 952 Hunc Potiphar licet approbum custodiendum tradidit I. S. 318 parentes approbi; *cernuus* (= inclinatus Non.) Ios. 983

Videbam in agro (ait) manipulos undecim
Venerarier meum manipulum cernuos.

Huc pertinent nonnulla adverbia in — iter exeuntia, quibus satis saepe utitur Macrop. (De his adverbiis vide Priscianum 15, 3, 13) sunt haec: *ampliter* saepe (Plaut. Non. Gell.) *blanditer* (Plaut. et gramm.) Petr. 789, Hec. 139 *concorditer* (rarum apud veteres) Andr. 797, *crebriter* quinquies (Vitr. 10, 13, 7) *inconcinniter* (Gell.) Al. 22; *munditer* quater (Plaut. App.) *primiter* (Pomp. apud Non.) Andr. 874 cum primiter ostium pulsavero Hec. 769 Se primus ingerit cum amicis Daemones; Is primiter mihi modo conveniendus est; Adam arg. 3; *saeviter* (Plaut. Non.) Petr. 253, 734 Reb. 400 *temeriter* (Non. Prisc.) I. S. 176; *largiter* et *humaniter* apud Ciceronem quoque eiusque aequales inveniuntur; *enerviter* habet Macr. Andr. 1065 nam turpe foret incipere, et inde enerviter succumbere; Denique Macr. utitur nonnullis substant. in — tudo exeuntibus, quae vulgo in — tas aut — tia terminantur. Hae formae aut apud Plautum solum, aut apud Grammaticos, nonnullae etiam apud seriores inveniuntur: Sunt autum haec: *albitudo* As. 98; Plaut. Trin. 874; *hebetudo* Reb. 814 (seriores) *ingratitudo* aliquoties (seriores) *macritudo* As. 282 (Plaut. Capt. 135) *maestitudo* Hyp. 504 (Plaut. Aul. 732) *poenitudo* As. 1175 Reb. 77ˣ (Non.) *severitudo* As. 282 (Plaut. Epid. 609 Non. App.) *Promptitudo* Andr. 28 et *gratitudo* Adam epist. dedic. apud veteres non inveniri videntur.

CAPUT III.

De Locutionibus et Vocabulis petitis ex Vulgata Sacrae Scripturae Interpretatione et ex Ecclesiasticorum scriptis.

Multum et tempore et rebus et stilo et vocabulis a veterum comicorum fabulis differunt altera illa scripta unde ut ex uberrimo fonte permulta libenter hausit Macropedii sermo, libros sacros dico Testamentorum Veteris et Novi. Macropedius procul dubio nunquam neglexit gravissimum illud et praecipuum officium eorum qui in scholis a fratribus Communis Vitae conditis praeceptoris munere fungebantur, sacras scripturas discipulis suis enarrandi et explicandi. Immo si eum putamus ex animo magna cum voluntate illud officium sancte semper coluisse periculum non est ne fallamur; persuadent hoc nobis fabulae sacrae eius, sincerae pietatis et veri amoris plenae. Ecclesiasticorum quoque scripta illis temporibus a discipulis in scholis sedulo lectitabantur, et poetarum christianorum velut Prudentii carmina edebantur in usum scholarum. Nihil igitur mirandum si in eorum qui res sacras tractabant et libris et carminibus multa inveniuntur ex illis fontibus petita. Et Libri sacri quidem quamquam ut diximus tantum et tempore et rebus a veterum poetarum comoediis distant tamen nonnulla cum iis habent communia, quippe qui non secus ac vetera illa scripta in multis popularem et cotidianum sermonem referunt, qui per longa saecula multa immutata servavit, ex quibus nonnulla etiam usque ad Macropedii aetatem substitisse videntur. Velut in utrisque invenimus Indicativum in quaestione indirecta, verba putare, sperare, videre cet. extra sententiam posita, infinitivum post verba movendi, alia eiusmodi. Alia tamen et plura Evangelicae dictionis propria sunt, et a scriptoribus Ecclesiasticis potissimum usurpantur. Qualia apud Macropedium plura inveniri in iis fabulis quae proprie dramata sacra vocabantur, ubi ipsa argumenta et stilum et vocabula

praeberent facile intelligitur. Magnae enim sacrae scripturae partes in illis fabulis narrantur, explicantur, dramatice tractantur. Quin etiam multa ex Vulgata interpretatione tam fideliter secutus est Macropedius ut ea paene ad verbum expresserit paucis tantum metri causa mutatis, imprimis verba ipsius Dei et prophetarum vaticinationes; ex quibus nonnulla adscribere iuvat.

Vulgata Gen. IV, 6, *sqq.*	*Macrop. Adam.* 176 *sqq.*
Quare iratus es et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies, sin autem male statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius.	Quid sic furens Irasceris fratri tuo? Cur concidit Vultus tuus? Nonne bene si egeris, bene Receperis, sin male, tibi peccatum erit In foribus? . . . . . Subter te erit tuus appetitus, eique tu Dominaberis.
Isaias IX, 6 *sqq.*	*Adam* 1599 *sqq.*
Parvulus enim datus est nobis, et filius datus est nobis . . . . . Multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit; ut confirmet illud et corroboret in iudicio et in iustitia.	Nobis puerulus natus est et filius Nobis datust. Multiplicabitur illius Quoque principatus, atque pacis non erit Finis. Super thronum Davidis et super Regnum illius sedebit, ut confirmet in Iudicio et in iustitia in omnia saecula.
Isaias LIII, 2 *sqq.*	*Adam* 1635 *sqq.*
Non est species ei neque decor . . et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras . . . . . et livore eius sanati sumus. Omnes nos	Vidimus eum, nec erat ei forma aut decus, Sed eum putavimus ut leprosum et a Deo Percussum et humiliatum. At ipse propter nos (scazon) Propterque nostra scelera vulneratus est. Eiusque sanati sumus livoribus. Omnes perinde atque pecudes erravimus,

quasi oves erravimus .... et posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet .... propter scelus populi mei percussi eum .... tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est.	Et omnium peccata nostrum illi Deus Imposuit, atque ut voluit ipse oblatus est, Et non aperuit os suum. Nam velut ovis Sine voce mitis ad immolandum ductus est Coramque tondentibus ut agnus mutuit. Propter scelus populi mei percussi eum. Morti suam vitam dedit, cumque impiis Reputatus est.
Regum I, 17, 43 *sqq.*	*Adam* 1531 *sqq.*
Et dixit Philistaeus ad David: Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philistaeus David in diis suis. Dixitque ad David: veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus caeli et bestiis terrae.	Nunquid tibi Videor canis, quem baculo ad arma provocas Et lapidibus? DAV. Non te canem, sed multo adhuc Te viliorem iudico. GOL. Te strangulent Melchon, Chamos, Beelphegor, Baal, Astaroth, Beelzebub, Dagon, Moloch, vilissime! Ades, dabo carnes tuas volucribus Vel devorandas bestiis.

Videmus hoc loco Macropedium doctrinae ostentandae causa vel ad puerorum eruditionem Philistaeorum deorum nomina adiecisse. Unum addam exemplum: Somnium quod regius pincerna Iosepho in carcere interpretandum proponit.

Vulg. Gen. XL, 9 *sqq.*	*Macrop. Ioseph* 1055.
Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas et post flores uvas maturescere, calicemque Pharaonis	OENOCHOUS. Mihi quidem Apparuit vitis trium propaginum, Quae uvas mihi post gemmulas et flosculos Maturrimas [1]) visae affatim producere.

[1]) Deminutiva *gemmulas* et *flosculos*, et superlativum *maturrimas* metrum peperit.

in manu mea; tuli ergo uvas et expressi in calicem quem tenebam et tradidi poculum Pharaoni.

Respondit Ioseph: haec interpretatio somnii: Tres propagines tres adhuc dies sunt, post quos recor. dabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum . . Tantum memento mei cum bene tibi fuerit . . . . ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebraeorum, et hic innocens in lacum missus sum.

Videbar et manu mea tenere me
Calicem Parhonis aureum, vinique ei ex
Uvis liquorem imprimere liquidissimum, et
Porrigere regi poculum. Hem nostrum tibi
Insomnium. Ios. Euge, insomnium boni ominis;
Nam in vite tres propagines tres sunt dies,
Post quos Parho tui meminerit, atque te
Restituet ultro dignitati pristinae.
Tunc obsecro, cum laeta cuncta et prospera
Tibi fuerint, tui memento interpretis;
Ut suggeras regi Parhoni, quo sinat me
Ex carcere hoc educier, quod ex mei
Patris domo furtim actus ac venundatus
Sim, et innocens in hunc lacum detrusus sim.

Plura eiusmodi ex Lazaro, Iosepho, Adamo, Hypomone, Iesu scholastico afferri possunt. Complures quoque Davidis psalmos Macropedius versibus expressit, e quibus unum adiciam, psalmum XII, quem bis metrice vertit, in Lazaro dimetris iambicis, in Iosepho glyconeis usus. Vulgata habet haec:

1. Usque quo Domine oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?
2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?
3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?
4. Respice et exaudi me, Domine Deus meus; illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.
5. Nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum. Qui tribulant me exultabunt si motus fuero.
6. Ego autem in misericordia tua speravi. Exultabit cor meum in sulutari tuo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi et psallam nomini Domini altissimi.

Haec a Macropedio canuntur in hunc modum:

Lazarus 829 *sqq.*

Quousque eris mei immemor
Miserrimi domine Deus?
Quousque vultum amabilem
A me reflectes obsecro?
Quousque curis cor meum
Vanissimis afflixero,
Quae animam meam maeroribus
Noctu diuque macerant?
Qousque cristas erigens
Hostis meus me deprimet?
Domine deus, me respice, ut
Exaudias preces meas.
Oculos meos illumina
In morte ne unquam obdormiam,
Nequando praevaluisse se
Contra me iniquus iactitet.
Si movear exultaverint
Qui me premunt hostes mei;
Speravi at ego super tua
Nitarque misericordia.
Laetabitur quoque cor meum
Tuo salutari. Canam
Qui bona mihi tribuit Deo, et
Altissimo eius nomini.

Iosephus 1020 *sqq.*

Usquequo dominans Deus
Eris quaeso mei immemor?
Usquequo a famulo tuo
Avertes faciem tuam?
Usquequo Deus atterent.
Curarum mala cor meum,
Quae maeroribus in dies
Haec praecordia macerant?
Quousque hostis meus erigens
Contra me caput opprimet?
Me Deus meus adspice
Exaudique preces meas.
Illustra mea lumina,
Ne in mortem sopor incidat,
Et iactet valuisse se
Contra me furor hosticus.
Si motus fuero, hostibus
Patescam opprobrio meis.
At cum tu miseros iuves,
In te spem posui meam.
Gaudebit quoque cor meum,
Cum salus mihi venerit;
Tum cantabo Deo, boni
Cum tantum mihi fecerit.

Nec solum psalmos Macropedius metrice vertit; in Lazaro etiam nonnulla ex Ecclesiasta et libro Sapientiae sumpta Glyconico metro expressit, e quibus pauca adscribenda duximus.

Vulg. Eccles. II, 8.

Feci mihi cantores et cantatrices et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda.

Macrop. Lazarus 667 *sqq.*

Cantantes pueros mihi
Concivi atque puellulas,
Omnes delicias quoque
Nati quas hominum expetunt.
Pro vino aurea pocula
Fundendo, et Ganimedeas
Qui Bacchum mihi misceant.

Attuli hunc locum ut ostenderem Macropedium iis quae ex

sacris scripturis sumpsit Graeca quaedam nonnunquam admiscere; quod etiam fecit loco hoc:

Vulg. Lib. Sap. 2, 3, *sqq.*	*Macr. Laz.* 875 *sqq.*
Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quae fugata est a radiis solis. . . . Nemo memoriam habebit operum nostrorum; umbrae enim transitus est tempus nostrum. Venite ergo et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tanquam in iuventute celeriter; vino pretioso et unguentis nos impleamus.	Ut vestigia nubium Haec sic vita recesserit. Atque instar nebulae effluet, Quae Phoebi radiis liquet. Ut umbrae quoque transitus Vitae tempus inanis est. Nec quisquam fuerit memor Nostri nominis amplius. Ergo his dum iuvenes sumus Fruamur, socii, bonis, Ultro dum simul affluunt Cypris, Bacchus et unguina.

Sic mendicus quidam cum Lazaro ante Laemargi ianuam iacens divitis viri inhumanam tenacitatem carpit verbis his: Laz. 539 sq.

Sed nec parum, nec grande cuivis porrigit, quamvis siet
Aut nudior Laeberide aut pauperior Iro seu Codro.

Eodem modo Joseph se cum Hippolyto, heram suam cum Phaedra comparat Ios. 347 sqq.

Nec Phoedra enim (si fabulis quid tribuimus)
Tantum molesta suo quidem Hippolyto fuit
Quam haec me suis gemitibus et blanditiis
Ad impudicitiam illicit.

Aegla quoque boni Potipharis uxor infidelis spectatoribus admirationem movet eruditione sua; audi eam Iosephum alloquentem Ios. 557 sqq.

Ah dure Joseph, Caucasoque durior,
Cuius cor haud emolliunt ullae preces,
Ah saeve Joseph, Atreoque saevior
Qui cor meum hoc verbo unico sic lancinas.

Nec miramur Iosephum Graecos heroes, Graecas tragoedias nosse, cum eundem audimus de Trinitate etiam disputantem; cupisne tu quoque huius magistri doctrina frui? Ausculta

igitur. Nunc cum maxime discipulos discipulasque interrogat exquid ex priore lectione meminerint. Ios. 280 sqq.

Ios. Dic, Phronime tu quid memineris.
PHR. Nil esse Anubin, nil Serapin et Isida,
Nisi vana quaedam numina aut mage nomina.
Ios. Nil rectius. Dic Agna mea quid memineris.
AGN. Quod sit Deus pater omnium, quod filius
Per quem omnia et quod spiritus, in quo omnia.
Ios. At cum sit unus, qui deos tres nuncupas?
AGN. Nescio equidem. Ios. Capisne tu, mea Catharis?
CATH. Nec ego quidem capio. Ios. Domina mea Asenath
Tu dicito si intelligas. As. Qui intelligam,
Praeceptor, hoc incomprehensibile homini?
Dicam tamen quantum fide complexa sum.
Unam Dei esse hypostasin sub his tribus
Contemplo personis, veneror et obsecro.
Ios. Divina virgo, non tibi humana ratio
Haec suggerit, sed spiritus patris omnium.

Sed redeamus unde digressi sumus. Praeter ea quae ex Sacra Scriptura sine ulla aut cum parva admodum mutatione, contractione, amplificatione sumpsit Macropedius, dramata sacra eius omnibus locis plena sunt linguae Canaaniticae et paene tertio quoque versu sacrorum librorum lectorem admonent. Ex. gr. Vulg. Marc. X, 49 haec habet: *Animaequior esto*, surge. Macrop. Ios. 261 animaequior sis, domina, ne sic lachrymes; 1608 Exsurge, sis animaequior; Hyp. 758 animaequior sis, nec vacilles Thobia. Tria praecique sunt vocabula quae eo, quem in Sacra Scriptura obtinent sensu saepe usurpat Macropedius. *Caro* ita ut opponatur spiritui et ponatur pro parte hominis infirma et ex peccato originali corrupta; *Gratia* = Divina clementia, quae homini peccanti ignoscit eumque poenitentem recipit; *Mundus* in malam partem pro voluptatibus pravis levium hominum et peccatorum; sic Asotus vocatur *amator mundi.*

Aliae locutiones ex libris sacris petitae sunt hae: Asot. 25 resipiscit actus gratia; 35 stola innocentiae; Laz. 583 in hac convalle lachrymarum; 587 parebo coram te; 847 speravi super tua misericordia; 920 Anima mea cur tristis es; 1108 tum dixero in iucunditate animae meae; Ios. 1449

pudet ad te levare oculos meos 1426 astet nostro voltui; Adam 308 quod a Deo te elongaveris 398 in fine temporum 489 coram Deo 690 semen tuum quod in Isaac signatur; 819 renes suos cinxere; 874 quis es tu, qui Deo respondeas? 1439 virum secundum cor suum; 1472 circumdatus infirmitate carnis 2084 cibabis nos his lachrymarum panibus Hec. 1214 in deo qui obdormiunt; 1464 deo peccavimus 1488 meae salutis anchora Hyp. 74 valete in Deo 357 tantummodo merear invenire gratiam in oculis tuis 590 cordis tui in innocentia 1046 carnis pressuram et amaritudinem I. S. 70 cognata salve plurimum in sancto osculo 784 regnum meum non est ab hoc mundo.

Multo plura quidem afferre possumus sed lectoris satietati occurrendum. Ut ad singula vocabula veniamus a Macr. in fabulas adhibita quae aut solum aut praecipue in Vulgata et apud scriptores Ecclesiasticos inveniuntur, sunt fere haec:

Abominabilis (deorum naribus) afflictio carnis, benedicere = omnibus bonis cumulare, beneplacitum, coaeternus, coaptare = accommodare, comedere = una edere, compaginare, confessio, congaudere alicui, contradere, contraditus, contritio, conversatio = vivendi ratio, cooperator, correptio = reprehensio, desolatio, discussio = examen, dominicus, edulium (sing.), efficacia = strenue agendi virtus, exorcizare, famulitium, fornicarius, hospitari, implanare, impoenitentia, imprecari (in bonam partem), improperium, improperare, infrunitus (= impudens, inverecundus), insensata, inobedientia, insensibilis, iugiter, magnalia, maledictus, massa peccatrix, mediator, momentaneus, onustare, originalis, perenniter, pressura, iustitia = probitas, quae Dei gratiae debetur, pusillanimitas, quatriduanus, rancor, reatus = culpa, refrigeria, rememorare, renisus, reprobus, retributio, a saeculo = olim, salvator, sanctuarium, spiritalis, subitaneus, sufferentia, supererogare, substantia (= patrimonium, res familiaris) submurmurare, suggillare, temporalia, tribulatio, videns = propheta, vinculum improperii, abiectio, Deus addat, a longe, procidere alicui, virago (Eva), lacus = carcer, sponsus lachrymarum, visitare (= castigare, punire).

Deinde ut in Vulgata apud Macrop. inveniuntur formae ut rediet, exiet, prodiet, transiet, redies = redibit cet. Et nonnunquam ut in Medii aevii carminibus religiosis composita verbi *ire* in perfecto *v* servant, ut subivi, abivi, transivit, redivimus cet.

Eiusmodi autem vocabula non solum in fabulis sacris inveniuntur sed ne in comoediis quidem desunt, unde fit ut modo Plauti vel Terentii, modo Sacrae Scripturae admoneamur. Hoc quoque nonnullis exemplis illustrandum putamus.

Reb. 241 *puer confundet matrem suam* (Prov. 29, 15 Virga atque correptio tribuit sapientiam; puer autem qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam) 61 *iugiter*, 82 *salvator*, 26 *supererogant*, 504 *hospita*, 36 *matribus procidite* supplices; 217 gnatos suos *contradidere* literis; Aluta 5 Duobus *implanata* nebulonibus, 79 dolo *implanarier*, 105 *iugitur*, 176 *salutis anchora*, 344 *reprobus*, 531 *iudicare mortuos venturus est* vivosque per flammam, 400 ganeum adeamus nunc et *ollas carnium* Andr. 136 abi in malam crucem aut *labora ut edas*, piger; 182 *improperare*, 329 *infrunita* = impudens, 432 deorum *naribus abominabilis*, 449 *impoenitentia*, 425 hominem *conditum ad Dei imaginem*, 606 *insensata*, 777 *hospitata*, 792 *animaequior es*, 1137 *recipe* victam *in gratiam*, 1145 *recipe* me *in osculum*, 1208 parce *infirmiori vasculo*. Bass. 28 proniores *carnis* ad lasciviam, 822 Mercurius *addat* (imitatur formulam iurantis et imprecantis, *Haec Deus addat* quae in Vulgata invenitur), 874 quid *misera tum dictura* sum? 878 Sat sit *sua malitia* die crastino; Asot. 379 *improperia*, *scommata*, 1009 non *rancor* istius rei est *seminarium*, 1330 cave ne carina foeda sit neu *tecta perstillantia* (Prov. 19, 13 tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier), 1824 abligurire *substantiam*, cet.

Diximus supra nonnullas esse structuras quae et apud comicos et in Vulgata reperirentur. Ex his Indicativum in quaestione Indirecta in Plautinis tractavimus. Huc referendum hoc quoque videtur quod Macropedius eodem modo atque Plautus nonnulla verba cum infinitivo coniungit; velut:

Mittere Asot. 1765 Philaetium vocare me mittit senex (aliter 1102 amisit nos pro irretiendis piscibus).

Redire Reb. 391 Redeamus proles tuerier.

Sed etiam alia verba, quae apud classicos auctores infinitivum non admittunt, a Macropedio cum Infinitivo coniunguntur. De quo in Syntaxeos Praeceptis haec disputat: „Praeterea verbis quietis et motus ad locum, aliisque causam connotantibus, graece magis quam latine iungitur (infinitivus) ut: Iaceo dormire, Vado piscari, Rogo te venire. Elegantius Graeci pari modo ἐκάθιζεν ὁ λαὸς φαγεῖν, cet".

Tales autem constructiones, quamquam in nonnullis verbis apud alios quoque auctores, poetas praesertim inveniuntur, in Vulgata tamen frequentissime adhibentur, quare hoc loco eam rem tractandam duximus. Praemittimus pauca exempla ex Vulgata sumpta.

Matth. 5, 17 non veni solvere legem sed adimplere; 5, 24 vade reconciliari fratri tuo; 21, 7 eum desuper sedere fecerunt Marc. 5, 32 circumspiciebat videre Luc. 4, 16 surrexit legere, 12, 58 da operam liberari ab illo, 16, 3 mendicare erubesco Ioannes 4, 38 ego misi vos metere, cet.

Hoc modo apud Macrop. infinitivum habent verba haec:

curare Asot. 1336. Utres duos cura optimo vino repleri.
Reb. 746. Curate dum cito ferre suppetias.
. *deprehendere* (pass.) Ad. 1049. Colligere ligna deprehensus sum.
As. Arg. 4. Is deprehensus cum improbis graecarier
A fratre primum a patre deinde carpitur.
erubescere Andr. 263. Ne ergo erubescat agricola Ab ineptulis riderier.
facere Asot. 101. Hic quaeque fecit aggredi durissima.
Petr. 455. Vocatum ad ulmeum modo accubare faciet ferculum.
Ios. 1043. Errare fecere multos somnia.
fieri Reb. 415. Vestra amentia fit utrumque perire.
favere Asot. 1261. Quis favet Venus lascivire.
indicare Al. 154. Porro indicat nutu ex foro secedere (= ut secedam).
moliri Adam 1573. Molitur surgere.
movere Reb. 716. Cordis mei aestus me movent invisere Cacolaliam.

Alia constructio quam et comici veteres et sacrae scripturae sermo ex familiari et quotidiano dicendi usu sumpserunt ea est, qua verba putandi, sperandi videndi cet. extra sententiam posita nullam vim in alia eiusdem sententiae verba habent. (Vulg. Matth. 18, 1 Quis putas maior est, Tobias 10, 2 Putasne Gabelus mortuus est). Plurima eiusmodi habet Macropedius, velut:

Asot. 427 non *puto* animadvertet in amicum; 1284 *putem* foelicitatis quippiam nunciet? Al. 318 *Putas* reliquerint mihi gallum? Petr. 857 *videbis* ultro te vocaverit Andr. 691 *scio* obtemperabit Ios. 454 postulat nostram *scio* praesentiam Ios. 88 Quos *rogo* comites habebis itineris? Ios. 1788 dii *spero* dabunt; 1799 rex *suspicor* tribunal occupaverit; Adam 2463 *spero* licebit. Petr. 223 *Vin'* prehendimus? (Laz. 722 *Vin'* reditura sim?) I. S. 631 cras *spero* mecum dormies Hec. 383 *arbitror* non quit Hec. 1528 *Timeo* haec praeda elapsa est, cet.

In hoc quoque cum Vulgatae consuetudine congruit Macropedii sermo quod multa verba, quae apud classicos scriptores Acc. c. Inf. regere solent, apud nostrum coniunctio *quod* sequitur (Vulg. Matth. 6, 7 putant quod exaudiantur 28, 5 scio quod

Iesum quaeritis; Marc. 2, 2 auditum est quod in domo esset, cet). Tales constructiones, quae apud seriores usitatae erant Macrop. habet permultas, atque ita quidem ut coniunctio *quod* [1]) plerumque cum coniunctivo, saepe tamen cum indicativo, nonnunquam cum utroque modo coniungatur.

Exempla; cum coniunctivo: As. 823 Quis *nescit* hac quod voce suggilles meum in amicum amorem? 1111 At *suspicor* quod iam me herus praevorterit; 1651 Quis nam mihi *persuadeat* quod hic meus sit filius? Reb. praef. Hoc *scio* quod alios non viderim; 250 non *puto* quod audeat Andr. 119 *existimo* quod ea denuo non perpetret (pro perpetrabit) 306 Quod in oenopolio sit ausim pro meo iugulo quidem *contendere* Bass. 620 *Dixtine* adire quod audeas furum cruces? Laz. epist. dedic. Cum *animadvertissem* quod illa nonnullis placuisset 490 *videant* quod me soleris et adiuves. Ios. 1117 non queo, mi patrone, *inducere in animum*, quod Hebraeus ea patraverit.

1301. Quantumlibet rex magnus est
Tamen est memoria *proditum*
Quod mulier in convivio
Diadema eidem abstulerit, et
Sinistra eum ceciderit.

1703 *Fateor* quod imprudenter istuc fecerim. Adam 325 nonne *consideras* quod salus tibi affutura sit? 488 *Speravimus*, quod Noe, vir coram Deo perfectus et iustus, nos eriperet. 603 *Novi* quod Deum timeas; 2012 *Intellego* quod hic puer sit prodromos Christi futurus; Hec. 64 *Testatus* est Dei quod essent filii 117 *praedicant* quod exigenda ratio sit Hyp. 919 *certi* quod inter filios summi patris pars vestra sit I. S. 764 Nusquam tamen *probabitur* Quod ullus haec verus propheta senserit 1122 *pronuncio* quod hic puer sit filius vere Dei.

Cum Indicativo (plerumque Futuri) As. 1211 *spero* quod resipiet Reb. 379 *iuro* quod vindicabo me Andr. 353 *obtestor* quod subigam te Laz. 20 *Fatetur* ingenue quod eadem ratio se deterruit 984 *Perpende* quod non hoc modo merebere ut lauderis a mortalibus Ios. 22 non *putet* quod scriptor vitam viri scripturus *est* (metri causa pro *sit*) 1669 Iam *cerno* quod Deus tuus verus Deus solusque praestat numinibus Aegyptiis. Adam 358 nec tu *putes* quod Deus promissionem differet 2409 *videbimus* quod hic puer patri restituet id quod perdidit Hec. 160 *Denunciant* quod exigenda est ratio. 437 *inquies* quod mortis et salutis ultimae discrimina imminent 479 Qui nunc *scias* quod te in suam pater familias vineam

[1]) *Quia* in talibus non habet M.

missurus est? 1139 *fateor* quod beneficiis indignissima reddidi; 1499 *Fido* tamen quod mihi remittes universum debitum Hyp. 1200 Certo *scientes* quod Deus fidentibus sibi neutiquam in merore defuturus est I. S. 211 certo *sciens* quod omnes superaveris 775 *Fateor* quod dignitatis nomina Meschiae tribuuntur.

Ind. et Coni. coniunguntur Hec. 1379.

Credis quod omnia quae patravit filius
Dei unicus tibi redimendo *gesserit?*
Tibi natus *est?* tibi *vixerit?* cet.

Coniunctionem quod et Acc. c. Inf. legimus Andr. 653.

Illa aestimat
Parvi, *putat*que quod vel is non audeat
Vel si audeat, se posse illi resistere.

Denique in hoc quoque Vulgatae exemplum sequitur Macropedius quod vocabula *huiusmodi*, *eiusmodi* substantive usurpat. (Vulg. Ioan. 8, 5 Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare Iob. 14, 3 Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?)

Reb. 137.	Nugas agunt, qui effutiunt *huiusmodi.*
„ 155.	Interminabimur viro ne *eiusmodi* praesumat.
Andr. 1042.	Ut uxor est? adhuc libet moecharier? Proh, vivere haud libet; libeat *huiusmodi?*
Adam 1280.	Non absque causa *huiusmodi* populo suo Deus exhibet.
Hyp. 320.	Facessat *eiusmodi.*

CAPUT IV.

Vocabula et locutiones e serioribus scriptoribus et a Poetis petita.

Praeter ea quae ex Vulgata et Ecclesiasticorum scriptis in Macropedii sermonem manasse videntur multa vocabula videmus ab eo adhibita quae sequioris vel infimae latinitatis sunt. Inter quae nonnulla apud poetas potissimum reperiuntur; sed notum est multas locutiones quas antea poetae soli usurpare

solerent post Christum natum etiam in solutam orationem adhiberi coeptas esse: quapropter ea quoque vocabula hoc loco enumeranda et tractanda duximus. Atque ut a *substantivis* ordiamur, invenimus haec:

Al. 314 *impostor* ille fuit 347 Rete, dolus, *impostura*, furta sunt meae Artis peritia, Ios. 1823 Quapropter o rex optime tua *celsitudo* fecerit cf. 1592 Andr. 608 *incentor* mali nequissimus caupo Reb. 20ˣ *Ingratitudinis* amodo haud nos argues. Ad. 1032 Ob *inobedientiam*, quod in te omnes peccavimus Andr. 283 Ego cum uvido passoque *linteamine* Tecum fores accessero. Laz. 544 Ut eum suae pingues *ofellae* electilesque stragulent. Ad. 881 Creatoris *omnipotentia* cf. Hec. 1446 Hec. 226 *Respectus* honoris Andr. 343 *Prodigalitas*, Andr. 439 Luxuria cunctis sensibus *vivacitatem* detrahit: Hec. 1523 *susurrium* Reb. 814 *Hebetudinis* me Lorcobal coarguit frequentius Barf. 990 *Sartaginis* Bacchique vestri particeps. Ad. 1630 Temporis *transsumptio;* Andr. 1063 *conflictus* instat huic meo impar flictui (= pugna).

Adiectiva.

I. S. 398 Indoctus est prorsusque *analphabetus* est; Ios. 1705 Silentio *culpabilem* se prodidit; *adi. negativa.* Ad. 2221 Quam *incomprehensibilia* sunt opera tua 2219 O vera summa *incomprehensa*que trinitas, Ad. 878 ut coram Deo sint plane *inexcusabiles;* Ios 101 cautes *insensibiles* Bass. 508 nec *irremuneratam* sinet herus hanc benevolentiam; in *aneus* desinentia: Hec. 740 mors *momentanea.* 1873 mors *subitanea;* Hyp. 777 Accedit ipsa *ultronea* te, compelle eam I. S. 100 Vitam suam *ultroneus* impenderit Al. 65 multo secus *Convicaneae* me tractitant Hec. 249 Noctem *subsequam* genio dicare statuimus Andr. 749 *taediosus;* Reb. 777 Oves meas Quaeram *vagabundas*; *vesperus* Reb. 31ˣ Nobiscum eas ad *vesperum* convivium, cf. 86. Petr. 109 Bass 495 ad *vesperam* refectiunculam Hec. 122 *vespera* coena, I. S. 126 *vesperum* sacrificium 745 hora *vespera.*

Pronomina.

Vocat. *mi* fem. gen. Andr. 156 Quid te expulit, mi chara?

Adverbia.

Amodo = inde ab hoc tempore, posthac. Hoc adverbium quod apud Ecclesiasticos scriptores invenitur persaepe legimus apud Macrop. Asot. 456 Cavesis *amodo* mihi verbulo aut nutu obstrepas. Cati cavebimus *amodo* 960 Taedere iam coepit, nec *amodo* perferam; 1840 *amodo* here ero ut voles. Reb. 75 non ero alius, nec me *amodo* hic videbitis Andr. 505 cave *amodo* mihi sic eluseris Laz. 703 *Amodo* nemini vel miculam impartiar 1355 non *amodo* se torqueant boni viri Hec. 868 Sine patre *amodo* potis-

sim vivere, et multis aliis locis. Nonnunquam opponitur adverbio *modo*. As. 777 Non cessero *amodo*, licet *modo* oporteat. Petr. 436 Caedes *modo*, at non *amodo*. *Modo* enim apud Macrop. ut apud sequiores Latinos scriptores saepe plane idem est atque *nunc*. (cf. Vulg. Ioan. 13, 7 Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea).

As. 1816. Si prodigi Tibi vita displicuit prius, placeat *modo*.

Reb. 706. Te alio docebo tempore quod res *modo* alia postulet.

Al. 379. Sunt in vado *modo* spes meae 554 haud *modo* sed crastino die curabitur; Andr. 320 Vix hora lapsa quod hinc abibas, et *modo* esuris? (= iam nunc) Hyp. 1073

> Quis Thobia tibi *modo* animus est? Num adhuc
> Pusillus ut nuperrime? THOB. minime,
> Domina mea; *modo* fortis et robustus est.

et multis aliis locis.

Eminus extra rem militarem simpliciter pro ex longinquo, procul. Asot. 1408 Te sequebar *eminus*; 1567 *eminus* mihi prospera imprecamini; 1588 cum me videres *eminus*; 1646 quemnam *eminus* conspicio; Reb. 111 Sed commodum eccam obambulat mihi *eminus*. Al. 370 sequar *eminus*. Andr. 921 tuebor *eminus* quid hic facturus est 1058 Fac *eminus* Bass. 108 Quid praesidis parasitus *eminus* boni adferet? 179 Sequere *eminus*; 424 *eminus* utrunque sequitur Laz. 557 Video quosdam huc advolantes *eminus* 1207 sqq.

> Quid si *eminus* petamus aedeis denuo?
> Recte *eminus*, nam *cominus* cum panibus
> Condividuntur verbera.

Adam 635 Ostendit *eminus* mihi sacrum cet.

Identidem saepe Macrop. usurpat eadem significatione atque *itidem*, quod apud Augustinum quoque, quamquam raro inveniri videtur. Exempla.

> Reb. 187 Salve magister! *Identidem*
> Salvete vos, matronae honestae!

Reb. 579 Iubet alma Venus salvere vos, venusti adulescentuli! Dysc. Praestantius nihil est salute. *Identidem* salvere eos Volumus, salutem qui imprecantur combibonibus probis. Cf. Petr. 53, 126. Ad. 1584. Et mihi disseruit ipsum *identidem* Hec. 1983 Sperabimus et nos? — *Item* sperabitis. — Nos *itidem*? — *Identidem* Hyp. 779 Vos quoque alii sperabitis *Identidem*, claudi, paralytici, arthrici. I. S. 976 *Identidem* ut matri puer collachrimat.

Adverbia in — ter Reb. 409 Qui gnatum meum tam *immaniter* cecideris; Asot. 959 Argui abi te *indesinenter* taedet me. Cf. Laz. 309 Asot. 1276 Tranquilla *perenniter* consuetudine perfrui Ios. 1948 Nos tibi *perenniter*

devinxeris Hec. praef. Non *trivialiter* dicta Bass. 117 Harpyia coniux *uniformiter* omnibus; Asot. 1707 *enerviter* corrupto. *Perpetim* Reb. 488 *Alias* = alioqui. I. S. 339.

Desine puer fundere tam amaras lachrimas,
Alias nec ipse continebo lachrimas.

Verba.

Ios. 1982 Rex te vocari iussit ut parentibus *congaudeas*; Hec. 747 Secunda mors hominem a Deo vivente in aevum *disgregat*; Bass. 359 an torrebimus simul omnia, an partim opipare *elixabimus*? Petr. 1217 *obviare* Asot. 820 nec me piget *plagarier* tuo prae amore, mel meum; Andr. 436 Luxuria mentem *obnubilat*; Asot. 915 quid ergo absente me isthanc ingredi *praesumpseras*? Reb. 155 Interminabimur ne eiusmodi praesumat. (Andr. 846 cave ne te fallat haec *praesumptio* = fiducia) Hyp 206 Laepra qua *sordidaris*; Asot. 710 *meretricari* Petr. 6[x] nostra *alteremus* nomina; Reb. 375 Ne eum cogar videre ita *visceratum* innoxium. Reb. 278 Cera manus *compaginatae* sint mihi; Andr. 618 Ut frumenta *germinant*? Asot. 575 Cerberus te *glutiat* nequissime Laz. 649 Iam *accine* lyrae; Pet. 196 *astruere* = affirmare.

Coniunctiones.

Licet cum Indic. As. 165 *licet* iuxta omnibus rigidus *fui*. Ad. 1387 *licet* plures *fuerunt* impii.

Apud scriptores postremae et infimae Latinitatis inveniuntur haec:

Bilanx Bass. 121; Bass. 797 Tu excussor ille nobilis Licaxque *cacabarius*? Al. 360 (de muliere temulenta) Iam *caespitat*, dormiturit, mox uspiam Sub arboris sopita fronde concidet; Laz. 781 (de caeco) Te ego pone *cespitans* sequar. Al. 339 *cauponaria* I. S. 560 *confratres* Alut. 419 *cuneus* = moneta nummus; e foro cuneos latura. Verbi *famere* part. praes. Andr. 992 Sic me *famente* et bibere et esse discito. Laz. 54 At nemo ei quamvis *famenti* tradidit (miculas) Ad 206 *deicola*; *demerere* alqd = indignum fieri alqua re Asot. arg. 16 Gratiam quam demeruerat lachrymis uberrimis implorat. Reb. 558 *fuscedo*; Bass. 611 hic *gabulum* adire iactitat As 978 Videbo quanti *grana* veneant (= frumentum) Reb. 505 *hospita* = caupona: Hem, convicium non est quod hospitam vocaris qui hospes est? Reb. 413 praesagium *infallibile* Ad 1249 Nostris fruere *iocalibus* (= opibus, thesauris) Ios. 1347 boves *macredine* squalidas Asot. 262 En singuli absunt qui forent *obstaculo*.

Poetica. Macropedii fabularum versus quamquam sermoni non propiora sed proxima sunt, tamen hic illic nonnullis distinguuntur

vocabulis, quibus poetae fere utuntur, epici praesertim et lyrici; quae saepius quidem in choris, ubi nonnunquam paulo altius surgit sed tamen etiam in diverbiis inveniuntur. Talia sunt:

Ios. 533: Te praeter omnis *dulcor* isto *amaror* est, mellite Ioseph. (amaror invenitur apud Lucr. et Verg. sed proprio tantum sensu).

Hec. 177 Sacras | Aedes sacris diebus ingredimur, deo
Precem dominicam fundimus, fidem quoque
Nulla impiorum dogmatωn *aspergine*
Foedam tenemus integram.

Aspergo hoc sensu legitur apud Prudentium.

Macropedius fortasse metri causa favet vocabulis in — en — inis desinentibus.

Hyp. 165. Dulci fruebar cantico atque *affamine*.

Saepius *condimen* pro condimento. Ad. 816 quo pane vel *condimine* populus usus est; I. S. 657 nil addidit *condiminis* Andr. 295 Nullum suave obsonium, si condiat Mulier proterviae suae *condimine*. Asot. 431 Daetrus coquus conservos ab atriensi vapulantes videns perterritus exclamat: O herculus, diverberat eos fuste, faxo eiusmodi Ne condiat carnes meas *condimine* Ios. 1279 Dormitque saeptus regio Famulantium *munimine*. Petr. 1078 Axis *coelicus*; *Civicus* = civilis Asot. 171 propter hunc domi meae Contentio est crebra et simultas *civica*. Al. 298 Toga admodum bona, pulla, duplex, *civica*. (Toga hoc loco dicitur de muliebri vestimento) Reb. 845 Ad *cunctipotentem* vertite vel Nunc mentem, animas quo suscipiat. Reb. 845 pueri cutis *diverberatur* (alio censu Verg. et Lucr.) Asot. 476 multis ab oeconomo modis *diverberor*. Reb. 682 Haud modo *fandi* locus Petr. 1396 *effari* Al. 456 insanit *horrendum* nimis Hec. 1100.

Iudex superne iratus *horrendum* intonat
Inferni et ater mihi dehiscit tartarus.

Hyp. 240 Sit prompta mens et animus *imperterritus*. Asot. 1771 Novi profecto *inamoenum* erit Philaetio Hoc nuncium quod afferam de Prodigo. *Ingemere* cum acc. As. 817 Quid oblitam istanc pulvere *ingemis?* Petr. 1400 *inhonestare* Hec. 1006 Quid *inquietor?* quo feror? Lar. 691 Solis *iubar* videre non potui miser. Reb. 64 *iuventa* pro inventute; Reb. 436 Tibi docendum tradidi gnatum meum, non *lancinandum* Petr. 1297 dies *occiduus* Reb. 341 Perinde in *innocuos* ut in foedos canes Grassatus est latro (ludimagister pueros verberavit) Petr. 24ˣ emite mala *odora*, mitia dulcia Asot. 1307 Iam fama publica *perstrepit*, quod te adierit, Patrimonium petiverit, receperit. Bass. 610 Vix ego pedem ausim efferre lumine *praevio* Adam 134 Caroque morti destinata *praeviis* Nece gravioribus malis

atteritur Laz. 1139 Morti *propinquat* Lazarus (Asot. 1438 Quotiens *propinquo* ad huius aedes divitis) Reb. 680 *Sistite gradum*, nequissimi! Laz. 625 Coram *superno* iudice Ad. 972 Afflatus est quodam *superno* numine Ad. 1532 Descendit et *Tricorpor* ille fastuosus in aream. I. S. 119 Nomodidascali *volvere* scholasticos convenire in hunc locum As. 496 Exit Colax ad haec probe exigenda mire *accomodus* Reb. 181 Ut est stultissima materna mens, nobis tamen ut *accommoda!* I. S. 680 Si parens eget vel *aegret* Esto gnatus obsequens Asot. 1832 Quia Asotus hic frater tuus *praemortuus* Fuit ac revixit, periit atque inventus est (metri causa pro *mortuus*) Asot. 1436 Fuge scorta *priva* et publica Adam 176 Toti nostro *germini* (generi) Petr. 661 Optimo vino *serenemus* oculos.

Ad poetarum rationem hoc quoque referendum videtur quod nonnulla verba a Macrop. cum Dativo, nonnunquam etiam cum Accusativo construuntur, ubi in soluta oratione praepositio addi aut iterari solet. E. gr.

Asot. 907 carceri *adigere;* 910 phylacae *innectere;* Reb. 841 nos *adigunt* laqueis, *adiguntque* cruci Pet. 427 phylacae *adducier*, 1150 *adducier* praesidi, 788 *iunge* te viro 1301 *accidetis* praetoris genibus; 1371 *procidens* parentibus (Reb. 36ˣ matribus *procidere*) (etiam in Vulg.) 1376 malis *adegeras* te Andr. 250 *missa* terrae semina 568 orco *transferens* Bass. 536 mihi a sinistris *iungere* Ios. 950 carceri *illigandus* 1066 te *restituet* dignitati pristinae 1111 pristino mox *alligabo* (eum) muneri Hec. 1201 aedibus suis herum *ingeram* Asot. 6 auribus *indimus* 27 maximae *adactus* inediae. Saepe *loqui* alicui Asot. 41 Doctis loquar Bass. 690 loquar meae Graidio Ios. 358 loquitur suis ancillulis 1315 loquar familiae 1713 loquendum est coniugi Hyp. 8 vobis loqui 141 res postulat loqui viro; 728 aliis locutae denuo videbimur. Cum *accusativo*. Reb. 461 Laqueos meos mox *incident;* Reb. 872 Ne manus meas facinorosi *incidant*. Bass. 671 Merito *incidet* quam fecit ipse foveam (Contra dativ. habet incidere Asot. 1043 Non hanc vides pulposulam Feram incidere griphis meis?) Adam 1306 *Accede* Mosen Laz. 260 *Accedit* aedes Daemonis.

Macropedii fabulae argumenta ex agricolarum et puerorum scholasticorum vita quotidiana sumpta tractantes, ut supra diximus vulgari et usitato sermone scriptae sunt. Nonnunquam tamen, ubi vehementiores personarum affectus aut paulo sublimiore aut acriore genere dicendi exprimenda sunt etiam apud nostrum vocem Comoedia tollit, ut in anapaestis illis quibus in Rebellibus duo iuvenes sua petulantia et temeritate in vitae

discrimen adducti, morte imminente tristem suam fortunam lamentantur. Reb. 824.

> *Tuba terribilis* sonuit nunc. Heu
> Miseros fures, miseram sortem!
> O fata *inamata*, o horrida mors!
> Maledictum sit furtum, quod in hunc
> Me duxit *amarorem!* e. q. s.

In Andrisca Porna cum in eo est ut a marito salito equino tergori insuatur terrore exanimata exclamat. (Andr. 1012):

> O saxeum pectus viri!
> Quae terra, quod mare, quaeve barbara natio
> Huic simile tormenti genus cuiquam intulit?
> Quae terra mihi dehiscat et poenae eximat?

Irata mater in has voces erumpit. Reb. 376:

> Longa est mora omnis, tota namque excandeo.
> Per deos deasque iuro et omnia
> Terrae polique et inferorum numina
> Quod vindicabo me hoc die de iniuria.
> Ita unguibus taetricam viri notavero
> Frontem, ut nihil minus exarata appareat
> Quam prolium clunes.

Nonnunquam per iocum talia adhibet Macropedius. Audiamus cauponem Andriscam ut fortiter maritum aggrediatur exhortantem. Andr. 850 sqq.:

> Si tibi stat haec sententia, age viraginem.
> Tete exhibe fortissimam! Nec uti mulier
> Pavida, nec uti cessura segniter ictibus
> Sed uti leaena interrita atque fortiter
> Congredere cum viro, virili quoque tua
> Pro parte caedito. Atque eum si viceris,
> Non in virum imperium modo domesticum,
> Sed gloriam immortalem et aeternum decus
> Hac hora adepta prospere aevum transiges!

Asot. 31 serio dicitur:

> Dum veritatis derelicto *tramite*
> Sequitur voluptates suas

Item Asot. 922:

> Ibo, et in morem ingemiscens turturis
> Contabuero miserum omnium miserrimus, donec vagum
> Post furta, scorta, libidines ad *veritatis tramitem*
> Reduxero.

Iocose idem vocabulum adhibetur. Reb. 691:

> Consilio et artibus meis
> Abiere *laevo tramite*
> Per compita atque devia.

Item Andr. 662:

> Aperi ostium! heus! heus uxor! huc
> Gressus move! Quid agis? Ades! Nullus aperit.
> Quid suspicabor? An ne *laevo tramite*
> In oenopolium regressa?

Puer matrem irridens. Reb. 170:

> Sed obsecro, quid me avocat mea *genetrix?*

Aluta gallum qui pignori capitur tristis sic alloquitur. (Al. 331):

> O Pervigil custos domus, sicine migras
> Cortem in alienam? Ibo et querar viro meo.

Sic pro ire *gradum flectere.* Bass. 674:

> Ad dexteram *flectite gradum*

Laz. 1230:

> Crepit ostium, *deflecte gressum* in viculum.

Hoc modo et aliis locis paulo sublimiores locutiones iocandi causa vulgari sermoni immiscentur.

CAPUT V.

Ab antiquorum sermone discrepantia et peculiaria.

Macropedius quamquam pro saeculo suo satis pure Latine scribit et in plerisque veterum consuetudinem sequitur tamen in nonnullis ab iis discedit neque omnino liber est a suorum temporum sordibus et nimia in scribendo licentia et neglegentia.

Itaque structuras adhibet veteribus inusitatas, vocabulis alium sensum tribuit atque apud antiquos habebant, nonnulla vocabula ipse finxit et alia sibi peculiaria habere videtur. Velut coniunctionem *quod* cum coniunctivo construit non solum in oratione obliqua sed etiam in recta, cuius rei cum plurima exempla afferre possimus sufficiant haec:

Asot. 1104 Profecto me piget pudetque ignaviae Quod ambo caesi neutiquam *restiterimus*. Reb. 707 Te alio docebo tempore, quod res modo alia *postulet* Petr. 148 Paucis tamen, quod ad alia *festinem*, modo Loquendum erit Bass. 483 Suscipiet et libenter, quod *coxerit* sat abunde. 719 Hiccine Praetextus est quod neutiquam *pulsaveris?* Laz. 239.

Vel miculam panis iube mihi porrigi
Quod tertius dudum dies *illuxerit*
Ex quo nec edi nec bibi nisi laticem
Subturbidam.

Laz. 260. Sequamur hinc, Paulo quod ille *sit* hoc viro benignior. 288 Mi Bronche, nil incommodemus Lazaro, Quod verus ipse filius *sit* Abrahae. Ios. 267 Hos, aura quod serena *sit*, foras tibi produxero 359 loquitur suis ancillulis ferocius, quod *aestuet* libidine. Adam 1504.

Haec arma non meis quadrabunt usibus,
Quod neutiquam *sint* apta nostris artubus.

Quam parum tamen in hoc usu sibi constet ostendunt duae strophae, quae leguntur in Lazaro 433 sqq.

Custodito animam meam
Quod *sim* sanctus, et ex tua
Salvum fac famulum tuum
Pendentem aure Deus meus.
Me Deus miserare, quod
Totam te *invoco* per diem,
Et me laetifica, quod ad
Te *levavi* animam meam.

In eadem sententia coni. et ind. invenimus Ad. 306:

cur longius
Rogo distitisti? — Te tuo quod a Deo
Elongaveris, diroque colubro *adhaeseris*,
Nec angelorum dignus *es* consortio.

Fortasse hoc loco ind. metri necessitate debetur, qua saepe

duci Macr. etiam apparet ex his strophis, desumptis e choro quo Iosephi actus secundus clauditur. Ios. 761 sqq.:

Qui studet Deo placere
Cor paret modestia,
Lucifer quod *est* Olympo
Pulsus ob superbiam.

Sobriam paretque mentem
Absque crapula Deo,
Quod gula ex paradiso Adamum
Protoplastum *eiecerit*.

Sordis expers mens paretur
Castitate praedita
Foeda quod libido *mersit*
Cum Gomorrha Zodomam.

Candidum et livoris expers
Cor sit erga proximum,
Invido in fratrem Caini
Quod deus *maledixerit*.

Contra *modo* = dummodo Indic. habet. Ad. 1980:

Lege obsecro tabellas, modo nostra inter*est*.
Multum quidem vestra interest.

Atque eadem significatione *ut*. Asot. 1447:

Ut *estur* atque *bibitur*, omnia interim
Flagella successura nihili pensitat.

Aliae constructiones inusitatae sunt haec:

Ios. 1059. Videbar manu mea tenere *me* calicem; 1082 videbar habere *me* in capite meo canistra tria. Asot. 1102 amisit nos *pro* irretiendis piscibus; 1848 re mystica *Pro* corrigendis moribus fruamini. Reb. 586 Mage vos *trahat* fortuna quam negotiatio, videre licet.

Timendi verba saepius coniunctivum habent omisso *ne*:

Petr. 1032 Timeo non queant Asot. 305 Timui in me faceret impetum 451 timeo faciat Reb. 358 vereor veniat; 775 Timeo mora sit discrimini Aluta 426 Timeo viserit frustra puer. 564 Veremur omnibus haud conduxerit Andr. 721 Timeo turbaveris Ad. 169 Vereor tamen Conatus hic frustraneus futurus sit. Cum infin. Asot. 904 Cum deprehendi non times 1595 time tabo cicatrices putrescere.

Saepe Macropedius particula *quo* utitur pro *ut*, non subaudito *eo*. Huius consuetudinis plus nonaginta exempla notavi, ex quibus affero haec:

Adam 2054. Mar. Oculos meos
Deus meus revela, *ut* haec intelligam, et
Legis tuae mirabilia considerem.
Haeva. Orat Deum *quo* intellegat.

Asot. 183 granarium Invise, gurgulione *quo* sit liberum. 938 quin ergo ades *Quo* patris iram mitiges modestia? Reb. 442 acriter Diverberentur, *quo* temere nihil agere Discant! 760 Oremus optimum virum, *quo* iniuriae immemor ferat Patrocinium Bass. 196 In aquamque frigidam falernum mergito, *Quo* nil saporis optimi per aëris Tollatur intemperiem. Laz. 12 Oratque vos *quo* huius rei modo veniam Mereatur Ios. 671 tene improba hoc Tibi pallium, *quo* salva sit mihi castitas. 816 Praefeci Ioseph omnibus negociis *Quo* tu tuo genio fruaris libera 1423 *quo* multa paucis explicem Adam 1366 Paradison amoenam plantavit In qua formatum hominem posuit *Quo* immortalis frueretur ea. 1906 quis mihi dabit Subinde *quo* te audire merear? Hec. 166 *quo* ex arculis nostris sibi aes Emulgeant, hi nos subinde territant 444 Operam dabo *quo* splendide sint apparata quaelibet.

Hyp. 95 sqq. Siquidem Deus
Pater uti pius quem diligit castigat et
Flagellat omnem filium quem suscipit,
Aut propter admissum scelus, *quo* corrigat,
Aut propter hoc, *quo* insigne per miraculum
Suam celebret in flagellis gloriam.

In sententiis hypotheticis Macr. magna libertate utitur vel abutitur et temporum et modorum.

Exempla: Asot. 802 fors et mihi indignabitur si *siet* intus 1378 *fuat* si spes aliqua mox redierit 1497 unum scio, si *vivat* infeliciter *vivit* Reb. 154 Pereo si rursum *accidat* 725 nam si *fuat* dilatio actum est de gula. Bass. 792 Quis igitur es, si neutiquam fur Heino *sis*? In protasi praes. coni. in apodosi Impf: Reb. 91 mirum in modum *proficeret* si id *liceat* Bass. 524 si *queat* me avarum *redderet*. cf. Petr. 675 sq. Inversa ratione Al. 90 si necessitas me *adigeret queam*. Praes. in Protasi, Fut. in apodosi Reb. 40. Duplum si *impenditis* Dignam quidem ordine vestro *agetis* rem.

Imperf. Coniunctivi in his quoque exemplis liberius adhibetur.

As. Arg. 12. siliquis ventrem suum Quamvis *cuperet* implere non permittitur; 1337 Res *postularet* ut valedicam. Reb. 278 *Caederes*, meum non *redderes*? contra 440 *caedat* virum me femina?

Anomalia in usu casuum. Diximus supra Macrop. poetarum rationem secutum multa verba cum Dativo coniungere, atque enumeravimus eius consuetudinis exempla. Sed alia quoque verba apud nostrum Dativum habent quae apud antiquos aliis modis construi solent. Velut:

Celare Asot. 1159 Haec optimo minime *patri* celanda sunt. Petr. 753 Haec poterunt domi celarier? Poterunt *patri*. 1108 Verum omnia haec celanda prorsus sunt *ei;* Laz. 1259 neutiquam *Populo* potest quod accidit celarier.

Alia verba sunt haec:

Ios. 568 *Nobis sinit* ad horulam spatiarier 664 *Sine mihi* tuis lachrymis mederier. Hec. praef. fuere *quibus* in ea nonnulla *offenderunt*. Petr. Arg. 4. Pater hunc *magistro* accusat (= apud magistrum) 868 Quia unde te accusaret haud haberet *praesidi*. Ios. arg. 5 Nefas recusantem retento pallio Sceleris *marito* accusat: Hec. 671.

Nom. Et ipse te tunc, ut modo, accusavero.
Hec. Cui iudici? *Nom.* Inflexibili et horribili Deo.

Acc. praeter antiquorum consuetudinem adhibetur in his:

Bass. 177 exeunti templum 260 egreditur aedes.
Andr. 162 Quis hoc Baccho die *se* temperet?

Ablat. habet praep. *in* cum verbis movendi:

Aluta 427 In *thermopolio* si eam quis duxerit. Petr. 1001 In *ganeo* se aliquo retrudunt suspicor.

Iam reliqua quae notabilia videantur ordine percenseamus: Metri causa nonnunquam pro compositis simplicia adhibentur ut:

scribere = describere. Asot. 1488.

EUM. Asotus et re et nomine est. PER. Scribe faciem.

cedere = intercedere. As. 1312.

cui tanta cum meretriculis
Et tam arcta consuetudo cessit.

spondere = respondere. Reb. 364.

Prae lassitudine mea et iracundia
Vix hiscere queo ut ad rogata spondeam.

flictus = conflictus. Andr. 1053.

Conflictus instat haud meo impar flictui.

brevius compos. *accisus* pro usitato circumcisus. Laz. 27.

Infantem, nec accisum, nec alveo sacro
Tinctum.

Subinde contra composito pro simplici utitur, ut *concredere* = credere. Asot. 146.

Et esse semper et probus concredier
Studui, neque nihili viris me miscui.

adire = ire. Andr. 61.

In agrum adibo Andrisca frumentarium.

assequi = sequi. Asot. 661.

herum quoque
Lento gradu meum assequi ad vestigium
Non suspicabitur.

exigere = agere. Andr. 131.

An stas adhuc, socors? an est ruri nihil
Quod exigas?

Sic etiam primitiva nonnunquam adhibet pro inchoativis, ut: *Rescire* = resciscere. Asot. 785.

Hominem probe deludam, herus si resciat.

delitere = delitescere. Andr. 875.

Pro vetere consuetudine hydriam dabit,
Ut meme abacto fugiat is qui delitet.

erubere = erubescere. Laz. 489.

Ut erubeant mei osores.

excandere = excandescere [1]). Reb. 376.

Longa est mora omnis; tota namque excandeo [1]).

gravari = ingravescere. Bass. 214.

Scis quoque dolorem omnem gravari in vesperem.
(cf. tamen Hor. Epod. 5, 11 tu fortunam parce gravare meam).

liquere = liquescere. Laz. 879.

Instar nebulae Quae Phoebi radiis liquet.

---

[1]) Cf. Reuchlin, scen. prog. 418 *Excandeo* ludibrio me haberi.

obmutire = obmutescere. Reb. 656.

Abi! Alioqui ensibus concidimus te. Obmuti!

obsurdere = obsurdescere. Laz. 916.

Mi deus, ut obsurdent mihi aures omnium!

obstupere = obstupescere. Epistol. 91.

Obstupeo si non et ipsa natura hoc suadeat.

reflorere = reflorescere. Petr. 704.

Ut mens dolore tabida Per Liberum refloreat.

resipere = resipiscere. Asot. 1211.

Spero tamen Quod resipiet tandem.

Al. 553 Bacchidum more hactenus Bacchata tandem resipiet.

Alia notabilia sunt haec:

abdicare = abstinere.

Petr. 46 abdicare fabulis

×*accludere* [1]).

Andr. 183 ostia domus acclusero
Bass. 231 melius est accludam ut ostium.

adhibere = addere.

Al. 209 Assem adhibe. — Eho, addo.

adulterina copula.

Andr. 548 foeda in marito copula est adulterina.

×*affabulari* pass. Asot. 1297.

Vidimus eas huic accipi perblanditer,
Affabulari mollius, suavissime
Quoque oscularier.

×*agrestio* (maledictum).

Andr. 359 Quadrate, sordide, lutulente agrestio.

amarulentus = tristis, acerbus.

Asot. 808 amarulentis gemitibus vox illius singultit. Hoc ex Vulgata manasse videtur. cf. Luc. 22, 62. Et egressus fores Petrus flevit amare.

---

[1]) Asterisco notavi vocabula quae nec apud Forcellinum nec apud Ducange inveni.

anhelare = gestire.

Ad. 989 quod scire anhelas anxie. Hoc quoque ex Vulg. petitum videtur; non tamen inveni.

× *ascopas* — mendosum videtur pro ascoperas (ascopera = sacculus coriaceus in modum utris factus).

As. 1368 Vini optimi Ferri in triremem iam ascopas iussi duas cf. 1391 Paegnion Asoti adest puer, vidulum gerens marsupiumque Et ascopas vini duas.

× *asoticus.*

Asot. 450 amiculi sybaritici Asiatici atque asotici Reb. 544 Asotici duo adulescentuli Scorta expetunt venusta duo.

× *assuefactio.*

As. 134 assuefactio audaciam dat.

barba (blande) = vir, homo. Ios. 1775.

Te per tuam fidem, amica barba, deprecor.

caestus = fustis. Laz. 766 Thraso servus mendicis minatur in hunc modum:

Iam (nisi manus mihi stupescant) *fustibus*
Ita vos emolliam, ut tum brachiis
Tum cruribus pax comminutis, haud secus
Ac polypus exosses solo incubatis. [1])

Post, 786 legimus:

Tergum est daturus *caestibus*. Andr. 957 Ponus perterritus exclamat: gravissimos parat *caestus*; quo audito Georgus dicit 959 Adest Ponus, timet sibi prae *fustibus*. Adam 221 Fit namque certo certius Cecidisse Abelem pestilentis *caestibus*.

calida fames — fortasse ex lingua vernacula sumptum (cf. German. Heisshunger).

Asot. 1709 inedia et calida fames.

captiosus = capiendi cupidus.

Andr. 624 captiosus es, at nihil venaberis.

× *cludere.*

Andr. 1090 Praecide funem, clude tandem quid velis.

---

[1]) Obiter monemus *stupescere* pro *torpescere* et *emollire* eo quo hic adhibetur sensu apud veteres non inveniri.

curiosus = molestus, curae plenus. Reb. 491.

Haec curiosa sunt. Eant curae graves!
Indulgeamus et gulae et genio et iocis!

×*caveata* = cavea munita.

Al. 53 Caveata Aluta, ut dixeram, Suis onusta altilibus actutum exiet.

clavatus = clava armatus, quo sensu apud veteres inveniri non videtur.

Asot. 426 Sed huc irruit Comasta clavatus.

commodare = prodesse.

Laz. 613 Ego satis honestum iudico id quod commodat. 809 Nam quod Cynopa impartiit modo largiter Non mihi sed aliis commodat.

con — (*verba composita*). Multa verba composita cum praepositione con — apud Macropedium significationem habent qua apud veteres non usurpantur, ita ut con — sit = una vel simul. Saepe haec verba construuntur cum Dativo. Ex iis pleraque sua auctoritate hoc sensu adhibuisse videtur, nonnulla tamen inveniuntur in Vulgata. (Marc. 14, 31. Et si oportuerit me simul *commori* tibi, non te negabo Iob. 1, 4 vocabant tres sorores suas ut *comederent* et biberent cum iis 1, 13 cum autem quadam die filii et filiae eius *comederent* et biberent vinum; *congaudere* alcui saepius). Huiusmodi composita apud Macr. inveni haec:

Asot. 176 Gnatus meus Philaetius modo rus abit, Illi volo *concedere* animi gratia (= ire cum eo) Reb. 302 *concinamus* filiis Andr. 154 rogo num velit mihi *congredi* = me comitari 160 Quid si mihi *concesseris* in oenopolium? 164 nihil aberit, si adsint modo qui *combibant* Atque *comedant.* 168 Libens tibi *congrederer*, Andrisca, sed aliis mihi Charissimis condixi amiculis, quibus Me gerere morem oportet et *concedere.* 1016 mihi *concine* Ios. 229 mihi *convescier* 1977 Rex te vocari iussit ut parentibus *congaudeas.* 727 Non possumus tibi non timere nec tibi Non *condolere* ex animo Adam 26 Deos canit mortalibus *colludere;* (*condolere* Ad. 574 Hyp. 492, 865 *congaudere* Hec. 2008 *concinere* Ad. 2574, 2576) Hyp. 312 Si Christo enim *compatere*, cum Christo quoque regnabis 843 Ne tibi sit ebrietas comes, *Convescitor* nec improbis I. S. 937 Iusto meo *condormivi* suaviter. Laz. 1208 Cum panibus *condividuntur* verbera.

conduxero = profuero.

Asot. 166 Tamen omnibus non ut velim conduxero.

contari = conto explorare.

Asot. 464 Vivarium ut contentur et pisces domum cras convehant.

cuneus = ordo.

Adam 1593 Sacer prophetarum cuneus.

duodennis = duodecennis.

I. S. 462, 1051. (Haec forma apud Sulpic. Sev. legebatur, sed Hieron. ex MSS. auctoritate mendosam esse lectionem probat).

ecquid = quid, cur.

Bass. 784 Quid pateris? ecquid clamitas?

effectui mandarier.

Bass. 286 Ut effectui citius queat mandarier.

exporrigere animum.

Andr. 513 (Exporge frontem Ter. Ad. 839).

extimus = extremus saepius.

Reb. 785 neci tradantur extimae. Hyp. 818 In extimas tenebras mittier. Alio sensu Andr. 634 Sunt intimi sunt extimi = qui domi et qui foris sunt.

extraria opera = quae foris fiunt.

Asot. 465 familiam amisi ad opera extraria.

fidifragus Asot. 151 formatum ut foedifragus.

familia — iocose de avibus.

Al. 204 Quanti haec familia?
Al. 372 O galle, galle, ut es subductus et reliqua familia tota!

o *flocciorem* vellere Bass. 716 videtur lusus parum felix cum propria significatione vocab. *floccus.* In hoc Macr. Reuchlinum imitari videtur cf. Reuchl. Sergius 121.

O singuli vos *flocciores vellere.*

forte = fortasse, non praecedente si, sin, ne aut nisi.

Asot. 308. An nulla tibi cura est rei
Domesticae? *Trib.* Est nonnulla, maior *forte* quam
Quorundam eorum, qui crepitantibus ampliter
Buccis eam sibi arrogant.

Andr. 668 Scrutabor omnia, quia *forte* in abdito loco aliquo desidet.

heros ad Petr. 1016.

hiscere fame.

Andr. 758 Puerum fame video et laboribus hiscere; contra 966

fame et labore sic Ponus

Confectus est ut ne quidem hiscere quiverit.

ignitus — de amore Adam 2074.

O quam pium pectusculum! O quam ignitus est
Affectus hic tam gratiosae virginis.

illibenter. Petr. 73.

impressio.

Bass. 431 aer plenus est impressionibus.

improperiosus = contumeliosus.

Reb. 767 neci improperiosae traditi.

inducere animum = intendere Reb. 49.

Inducite animum, ut colligere valeatis hoc
Ex mytho epimythion.

×*indulgere aurem.*

Reb. 57 Ne irrideant, indulgeant aurem.

inferre ad Petr. 1004.

integrum non est = fieri non potest, non possum.

Reb. 528 haud est integrum Ea exhibere hoc tempore.
„ 546 Scorta expetunt venusta duo, sed commodum
Vel integrum non est mihi.
Hec. 806 Iam mihi hoc tibi praestare non est integrum.
I. S. 229 Solus vagor
Nec adesse matri nec patri charissimo
Est integrum.

×*irredimibilis.*

Laz. 128 Redditus (reditus) perpetui et irredimibiles.

irrogare = exprobrare, imputare.

Asot. 140 Nam quod familiae est irrogatur patribus.

labilis = caducus.

Hyp. 861 Aedes ruinosae, labiles.

levare laude alqm.

Reb. 126ˣ Laude te celsum medicum levamus.

× *lurconicus* Al. 256.

Faex generis humani est genus
Parasiticum, lurconicum
Scurrarum et id genus omnium;
Qui in otio ventri student.

× *lyricrepa.*

Laz. 1330 Is buttubatta lyricrepa et mendiculus (formatum ut legicrepa Gloss. Philox: bellicrepa saltatio Paul. Diac. 29).

maturus = celer, properans.

Ios. 1185 Video ministros regios quo nescio Properare maturo gradu.

mendicabulum ad Petr. 822.

× *menstruosa* Asot. 831.

mommius — ex vernacula lingua fictum videtur.

Bass. 299 Sumusne personati uti pater volueras,
Ut scite agamus Mommios sub vesperem?

mulgere alqm.

Bass. 86 Hunc suaviter mulgebimus.

obruere = opprimere, inopinantem occupare.

Asot. 780 Sed nos quid hic Sordidus inexpectatus obruit? Reb. 645 Circumspicito ne quisquam nos obruat Andr. 271 Possis maritum aliqua via deludere Si me obruat subito? Laz. 101 locutus mea Cum coniuge ipsum sine mora ipsus obruam.

obstrepere et *obstreperus* ad Petr. 1055.

occinere = obloqui.

Andr. 1032 Cave verbulo mihi occinas.

oscines = cantores.

Ios. 1240 Modulos canant tibicines et oscines.

× *oscitantia.*

Ad. 803 Siquid per oscitantiam tibi exciderit ego suggeram.

parum = paulum.

Asot. 868 Vin' adferam quo prandeas parum cibi et potus? 1120 Foris morabor dum parum Herilis ira refrixerit.

patere ostentui Andr. 560.

pelagus gaudii.

Asot. 1545 (deum marinum alloquitur)
Merito, o Palaemon, cantharis et lancibus tibi sacrificem
Qui gaudii ingens pelagus hoc uno die mi advexeris.

×*penitius* compar.

Ios. 990 Expendis haec penitius atque ego somnia.

piscatum pass.

Al. 97 Nihil piscatum in hunc diem?

×*pocillare.*

Ios. 1529 pocillandi honestum munus (pocillator apud Appul).

primarius = prior, pristinus (theologorum videtur).

Asot. 1678 Ut pristinum tuum favorem et gratiam primariam mereatur.

×*properrime.*

Asot. 289 Propere redi. Properrime.

×*pudefactio.*

Bass 339 Ne qua accidat vobis mihive pudefactio.

procarier = ludere, lascivire.

Andr. 493 Garrire dum libet tibi aut procarier Prorsus mei oblivisceris. (fortasse Macrop. menti obversatus est locus Festi apud Paul. Diac. 224 Procare (olim legebatur procari) poscere unde procaces meretrices ab assidue poscendo).

×*pusius* = pusio.

Reb. 66 Matrum suarum delicatos pusios.

×*pyrirapus* = bustirapus Asot, 148.

quadratus ad Petr. 837.

quam mox sine interrogatione.

Al. 364 sequere quam mox.

quique = omnes.

Laz 929 Sedere quique ut prandeant modo sympotae.

×*querulatio.*

Reb. 746 Querulationibus haud opus.

refectiuncula.

Bass. 495 ad vesperam refectiunculam.

rubigo de lingua.

Andr. 27 Linguae auferes stribliginem et rubiginem.

retrudere = abdere.

Petr. 1001 In ganeo se aliquo retrudunt suspicor.

securus = tutus.

Bass. 700 Securius censeo rediro clanculum.

senarius = senio.

Reb. 620 Num ternio et quaternio senarium tibi collocant?

sese = ipsum.

Laz. 29 in Caena ultima sese cibantem apostolos.

singularis = mirus.

Al. 525 Singularis admodum haec insania est.

singuli saepe = omnes et singula = omnia, sine ulla distributionis significatione.

As. 262 Singuli absunt, qui forent obstaculo Reb. 611 Iuvet Mercurius aut Maledictus ille, cuius auspicio sinistra singula 38ˣ nunc singulis recte paratis tempus est Al. 52 Advertito itaque singuli, sedete cum silentio Andr. 639 Domus quidem mea singulis patet George Et incolis et exteris, probis quoque Mulierculis. Bass. 874 Quid misera tum dictura sum dum singula sublata vere exaudiet? 967 Paucis tamen volo singulis praesentibus Vobiscum ad extremum loqui. Laz. 756 nuncia hero apparata singula Ad. 2329 Nunc expedita singula I. S. 309 rebus absolutis singulis; et aliis locis.

sinistrae = ad sinistram.

Asot 688 Cornix sedit sinistrae clamitans minaciter (de cornice cf. Plaut. Aul. 624)

sobria caena.

Reb. 108ˣ sobriae adesse non graveris cenulae.

stude quo = cura ut.

Laz. 724 stude quo singula, ad Convivium quae pertinent, parata sint.

subducere = se subducere.

Asot. 1588 Sta, Sta, Eumeni, licet modo subduceres.

subrigere in crucem.

Asot. 945 cruci Daetrus subrigendus est. 1219 Nunc in malam merito crucem Deterrimus subrectus est Comasta.

subrogare = suppeditare.

As. 1228 Aes subrogat crumenula, aetasque Venerem.

summarium peculium Petr. 819.

suspendio tenere = suspensum tenere.

Asot. 587 Suspendio tenes, logis finem face.

symbolum = symbola Bass. 627, 698.

tractare = meditari, id agere.

Al. 77 Iam quisque tractat si queat pro re mihi Dare verba.

transeat.

Asot. 1568 Mihi acclamate, transeat Colax, vivat Colax!

ubera — ὑποκοριστικόν Asot. 1232.

vicissitudo = remuneratio.

Asot. 373. Asot. 1633 Dii tibi senex reddant vicissitudinem.

pro virili (omisso *parte*) saepius; ex. gr.

Reb. 273 Sibi quisque semper pro virili nititur. *Parte* additur Andr. 582.

vomica — iocose pro muliere vomente Al. 369.

votum = studium, voluntas As. 1012.

fratri ades in agro, in vinea
In aedibus, voto pari, si nequeas
Pari labore aut viribus.

Denique cum sua quisque auctor vocabula habere soleat quibus saepe et libenter utatur, talia sunt apud nostrum, *absque* pro sine, *ansa*, *arguere*, *redarguere*, *eruere*, *irruere*, *ferculum*, *facessere*, *satagere*, *suggerere*. Ex his pleraque in notis ad Petriscum tractantur. Vocabulorum *ansa* et *ferculum* hoc loco nonnulla exempla adiicimus.

Reb. praef. *ansa* scribendi Laz. 1088 *ansa* iocandi Ios. 495 *ansa* turpitudinis 861 *ansulam* libidinis 1410 *ansam* loquendi Hec. 341 *ansam* laboris. Al. 38 varia nitent *fercla* bacchanalium 285 Ehodum puella, quin inimstras *fercula?* Bass. 68 ad sua Ipsorum edenda convocavit *fercula* 541

foede mendicata ab aliis *fercula* Laz. 170 Sitque apparatus *ferculorum* splendidus 545 ventrem crassum lauta *fercula* dissecent. 1022 Cynopa, iurulenta haec *fercula* sepone Hec. 423 ne a poculis et *ferculis* nos distrahas 459 (de Deo loquitur) in propria mensa suis paravit immortalia Sua *fercula* Hyp. 210 In *ferculorum* luxu et affluentia.

CAPUT VI.

De vocabulis Graecis.

Macropedius ut multi eius aequales magnum Graecorum vocabulorum numerum in Latinum sermonem suum recepit, quod etiam a veteribus comicis factum esse scimus. Sed ea quae a Macropedio usurpantur vocabula cum ex variis scriptoribus petita sint, in diversa genera distribuenda videntur. Atque ea quae Graecis literis scripta adhibet hoc loco non tractabimus, quia in sermonis Latini copiam adscita esse putanda non sunt. Unum tantum locum adscribimus, ubi ludit gradibus adverbii *πόρρω*; est autem Asot. 581 sqq.

Asot. Videris esurire. Col. Iam
Non admodum, nam illum tyrannum propuli
Πόρρω tribus pernis, qui adegit me cruci,
Denuo propulsaturus hinc πορρώτερον
Petasonibus, πορρωτάτων artocreis.

Inter ea autem vocabula quae Latinis literis scribuntur multa habet noster quae apud omnes usitatissima Latina fere facta sunt ideoque enumeranda vix videntur, ut:

Aether, apotheca, allegoria, cantharus, chorus, cyathus, gigantes, grammaticus, pelagus, philosophus, dialecticus, rhetor, satrapa, sophista, styx, tyrannis cet.

E comicis veteribus sumpta videntur:

Choragus, colaphus, cottabi, logi [1]), machaera, moechus, morus, obolus,

[1]) Semel tantum = nugae, quae nihil ad rem faciunt. Asot. 587 logis finem face; graecis literis Asot. 952 sat λόγων. Petr. 1313 ἅλις λόγων. Ceteris (10) locis = verba.

oenopolium, parasitus, parasiticus, phylaca, sycophanta, syngraphus, technae, thermopolium [1]).

Apud varios auctores, poetas praesertim et scriptores imperatoriae aetatis (Plinium, Appuleium) inveniuntur haec:

Acephalus, amusus, artocopos, aspis, autographus, barathrum, basis, Bromius, Bacchides, byssinus, catalogus, cataplasma, catastrophe, chasma, chelys (lyra), chirographus, chlamys, choraules, chorocytharista, dactyliotheca, daemon, dialecticus, diapente, diploma, discos, dius, dogma, entheos, ephebus, epitasis, genesis, gymnasiarcha, hebdomas, heros, heroicos, holosericus, hyacinthinus, lethargus, logicos, malagmata, megaera, melos, metanoea, mimallones, monarcha, mystes, mysticus, mysterium, mythus, nemesis, numisma, oeconomus, peplus, pera, peristromata, petra, philargyria, phrasis, plasma, plastes, Plutus, pragma, protasis, prototypos, proxeneta, psallere, psalterium, psaltes, schema, scholasticus, sphaera, sphaeristerium, stemma, stomachus, stromata, syrma, technicus, tropus, thymiama.

In iis fabulis, quae dramata sacra vocantur multa graeca vocabula invenimus quae leguntur in Vulgata et apud scriptores Ecclesiasticos, praecipue Tertullianum. E quibus notavi haec:

Allophylus, anastasis, angelus, antagonistes, antiphona, apostolos, atheus, azimos, baptisma, caumata, chrisma, chytropodes (Asot. 510 Chytropodes exhalant focis Hec. 137 calent adhuc Verua, calent foci, calentque chytropodes) coemiterium, daemonium, diabolus, diabolicus, ecclesia, ecstasis, eleemosyne, eremus, ethnicus, holocaustum, hypocrites, hypocrisis, hypostasis, idololatras, martyr, mechia, palatas, parabola, paracletus, paradigma, paranymphus, peripsema, phantasma, propheta, prophetice, protoplastus (= primus homo, passim in Adamo) scommata, sitarchiis, synaxis, synedrion, typus, typicos, zelus, zelatus, zizaniis (Andr. 63 Si ab insitis fruges novas zizaniis Purgaverit).

Aut omnino non aut perraro apud antiquos scriptores inveniuntur haec:

Acedia, acrisia, artocreae (Semel apud Persium, neutr. sing. 6, 50 oleum artocreasque popello largior) Apud nostrum fem. plur. Al. 41 delicatae artocreae, Petr. 936 cum artocreas ferret minister, Laz. 537 Divites non largiuntur artocreas integras) Asoticos, biblion, bomolochia,

---

1) Pro *symbola*, coena communibus sumptibus parata M. habet *symbolum*. Andr. 766 ne modo quolibet eat ad *symbolum*. Alio sensu (= imago, signum) Ad. 1880 *symbola*, Quibus in dies desiderabant Meschiam.

brosymon, cacodaemones (non κακοδαίμων sed κακὸς δαίμων cf. tamen Arist. Eq. 113 ἀτάρ τοῦ δαίμονος δέδοιχ' ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος). Asotus 255 Te devorent cacodaemones Alut. 459 striges vel cacodaemones; sing. Reb. 479 nocentior cacodaemone. Cacolalia, calyphon, characteres (literae) chirotheca, dactylus (= digitus), dialexis, dicteria, didascalus, dyscolus, Dystychia, epimythion, Eupraxia, gastrimargus, gastrimargia, geron, gnomicus, graidion, hermenia, hypochondrion, hypocraticus, hypothesis, latreia, mastix (Bis in abl. Reb. 219 sine ferula, sine mastige; Petr. 425 dissaviandam mastige) matheta, symmatheta, myriades, nomodidascalus, nymphius, olethrius, orphanus, orphana, paedium, palaestrica, protopalaestria, panoplia, parabolicus, paraclesis, paroxysmus, peplon, phasis, Pitarchia, pixis, plutus, pneuma, prologizare, prothomartyr, prothesis (= protasis), pseudographe, ropalon, scopus, sophistria, soterion, symposium, sympotas, sympotrias, syndulus, tecmeria, therapon, thorax (vestimentum).

Ex his quae enumeravimus vocabulis pleraque semel tantum apud Macr. leguntur, satis multa ter vel quater, nonnulla saepius, ut daemon, didascalus, ephebus, logi, mysticus, mysterium, oenopolium, phylaca, schema.

Praeterea nonnulla adverbia Graecum habent exitum ōs vel ως, ut comicōs, dramaticōs, Laconicōs, cet. e. g. Laz. 45 putat licere eam (parabolam) exhibere vobis comicōs. Ios. 30 (Iosephi historiam) exhibebit comicῶς; Laz. 595 Laconicōs vobis Lacon statum meum et Quaestum explicabo.

Denique exitus graeci inveniuntur in nonnullis vocabulis, quae apud veteres latino exitu usitata sunt, ut antron, encomion, spectron, theatron. I. S. 905 logois 967 didascalōn synedrion; Laz. 515 parasitōn greges Hec. 180 dogmatωn. Nonnunquam metri causa graecus exitus praeferri videtur, ut Laz. 521 Avibus malis canis*tron* id sumus secuti ut auguror cf. 515 Vides canis*trum* quod sequantur ultro parasiton greges.

De Macropedii Sermone Comico.

Iam quoniam ex magna Macropedii verborum copia nonnulla vocabulorum genera pertractavimus atque unde in eius sermonem manasse viderentur indicavimus, venimus ad sermonem comicum. Hoc nomine omnia comprehendimus quae cum oriantur ex ipsa rei comicae natura apud omnes comoediarum scriptores inveniuntur; qualia sunt verborum lusus omne genus, amantium blanditiae, invectiva et convicia, deminitivorum et verborum frequentativorum frequens usus, proverbia, sermonis copia et ubertas.

CAPUT VII.

De personarum nominibus.

Macropedius fabularum personis nomina indere solet quae eorum mores vitaeque condicionem indicant. Talia „nomina loquentia" ut hodie vocantur etiam apud veteres comicos inveniuntur;[1] sed Macropedius eiusque aequales omnes fere personas quae in eorum fabulis inducuntur in scaenam talibus ornant nominibus. Ita in Asoto pater probus et benignus

---

[1] Cf. v. LEEUWEN, Arist. Vespae ad vers. 84 LORENZ, introductio in Mostel. § 6 in Mil. Glor. § 3.

Eumenius vocatur, in Petrisco pater nimis clemens et indulgens *Galenus*; filius prodigus *Asotus* dicitur; frater eius, invidus et criminosus *Philaetius*; servus nequam, qui rem domesticam non curat sed solis epulis et comissationibus studet *Comastam* habet nomen; servus piger, qui omnem laborem detrectare conatur *Panocnus* dicitur; contra servi frugi appellantur *Merimnus*, *Tribonius*, *Thryptus*, *Cometa*, *Philoponus*; scurrae quidquid possunt undique furantes et rapientes *Spermologus* et *Harpax*. Callidus templi custos *Bassarus* [1]) dicitur eiusque filii furaces *Phorus* et *Harpax*. Lenones *Gaulus* et *Labrax*. Discipuli rebelles ex prava indole nomina capiunt *Clopicum* et *Dyscolum*, contra puer studiosus et modestus *Philomathes* appellatur. Parasitorum nomina sunt *Colax* et *Creoborus*; militum *Stratophilus*, *Eupolemus*; *Laemargi* servi saevi et feroces *Thraso* et *Cynopa* appellantur; sacerdos *Hieronymus*, pauperes discipuli scholae Hieronymianae *Psoroponus*, *Orphanus*, *Gymnicus*, *Phthiroponus*, servi currentes *Dromus*, *Droma*, *Dromella*. Etiam mulierum nomina indolem earum et naturam declarant. Mulier bellicosa et virilis quae cum marito de imperio domestico pugnat *Andrisca* dicitur, uxor mollis et delicata *Tryphera*, quae liberis nimis indulget *Philotecnium*, quae omnibus maledicit *Cacolalia*, quae virum odit *Misandra*; haec, poculis minus quam viro inimica nec domiseda amicas habet se dignas *Euodiam* et *Philoeniam*. Meretrices haec habent nomina: *Margaenium*, *Planesium* [2]), et nimis aperta *Philargyrium*, *Philochrysium*; ancillae castae et modestae in Iosepho appellantur *Catharis* et *Agne*. Multa nomina sunt substantiva appellativa aut adiectiva Graeca, quae munus, aetatem, vitae condicionem indicant; his Macropedius eo facilius uti poterat quod spectatoribus lingua Graeca minus nota erat, eaque vocabula igitur eandem vim habebant atque nomina propria. Sic coquus *Daetrus* vocatur, atriensis *Oeconomus*, cognatus *Syngenes*, familiaris *Gnorimus*,

---

1) **Βασσάρα** = vulpes, *λάβραξ* piscis voracissimus.
2) Apud Plaut. Curc. virginis nomen.

puer *Paedium* vel *Paegnium* [1]), famulus *Liturgus* vel *Hyperetes*, carceris custos *Desmophylax*, anus *Graidion*, puella *Corasium*, servi probi et fideles *Phronimos*, *Pistos*, *Philoponus*; gulosus heluo *Laemargus* dicitur et mulier adultera simpliciter *Porna*. Qui omnibus hominibus exemplum proponitur, ut suo casu spectatores admoneat quod cuiquam accidat cuivis accidere posse *Hecastum* habet nomen [2]). Agricola *Georgus* vocatur, coriarius *Byrsocopus*, quos tamen aliter appellat Andr. 157 sq.

Abegi in agrum *Geponum* meum et tuum
Aplaemon in coriariis laboribus.

Talia autem nomina ex vocabulorum significatione nonnunquam ludendi materiem praebent ut in satis lepido colloquio Reb. 553 sqq. ubi duo iuvenes in caupona dum coena paratur iocose et hilariter cum ancillulis confabulantur in hunc modum:

Melancia, Dromella, Clopicus, Dyscolus.
Mel. Sedete dum iuvenes, adest obsonium. Curre ocius,
Puella, profer e penario cito sex integros
Similagineos panes eosque candidos! Audin? Drom. Licet.
Clop. Heus tu, nigella, etiamnum et id curet, magis te candicent?
Melancia appellari videris tu, nam praedita es
Fuscedine admodum venusta. Dysc. Iterum auguraris, improbe?
Drom. Mecastor, illa nomine et re [3]) fuscula est; Melancia
Nam dicitur. Nivis instar ecce candidi panes. Modo e
Cellario depromitur Bacchus [4]). Valete, vivite.
Dysc. Dic Clopice et istius puellae nomen. An Lacaena sit?
Clop. Si et hic mihi liceat augurarier, Dromellula dicitur.
Drom. Tetigisti acu mecastor. En vinum. Valete, vivite!

---

[1]) Plaut. Persa.

[2]) Nomina propria ex lingua vernacula sumpta leguntur Al. 64.

Multo secus *Beata*, *Greta*, *Bertula*
Et *Metta* convicaneae me tractitant.

Petr. 801, *Portengius* 802 *Spengius*, 803 *Cocrengius*; *Aluta* et *Heino* quoque vernacula sunt.

[3]) Cf. Asot. 1487 Asotus *et re et nomine* est. Reb. 513 Caupo: *Nomine et re* Bromius vocor.

[4]) *Bromius* appellatur vinum Al. 285 Ehodum puella, quin ministras fercula? Quin Bromius adsilit?

Andrisca de se ipsa praedicat haec: Andr. 842.

Andrisca sum; etsi foeminae
Animum mihi natura masculum indidit.

Interdum vocabulum Latinum tantum additur quod nomen Graecum explicet [1]), Ut Laz. 211.

Ty. Quis dives hic? Br. *Laemargus* hic, *gulosus* hic.

Hec. 363 Nom. Iamdudum in his mundi infimis convallibus praedivitem
Homuncionem habitare multi praedicant, quem rex deum
Hominumque maximus iubet citarier, quem singuli et hunc primulum
Henecastum et *Unumquemlibet* compellitant.

Nominis significationem spectat etiam Bassarus, Harpaga filium incitans his verbis:

Tu age *Harpaga*, ne canis quidem in te mutiet.

CAPUT VIII.

De lusibus verborum.

Marcropedius, ut supra diximus, verborum lusus venari non solet, sed tamen ut in magno versuum numero nonnulla eiusmodi habet memoratu non indigna. In quibus tractandis initium facimus ab iis quae argutiae appellantur, in quibus ex significatione verborum iocus petitur, cum aut duplex et ambigua unius vocabuli sententia ridendi materiam praebet aut duo vocabula adhibentur forma eadem sed significatione diversa. Eiusmodi nonnulla invenimus in Asoto, praecipue in Comastae servi et Colacis parasiti colloquio, ex quo hoc loco pauca adiicienda putavimus. Asot. 229 sqq.

Com. Quin modo siles? Col. Quin modo cacas?
Etiamne habes ludibrio? Com. Noli, Colax,
Irascier, nam te velut omasum dabo
Sub hoc die fartissumum. Sile modo.

---

[1]) Cf. Plaut. Most. 497 Ego *transmarinus* hospes sum *Diapontius*.

Col. Praedam meis e dentibus rapis hoc σύλει. [1])
Quid vult συλεῖσθαι? Et modo caret modo. [2]) Face
Compendium. Com. Compendio dictis opus;
Sed ipse graecissas modo. Col. Graecarier [3])
Malim atque pergraecarier. Com. Facetior
Nosti esse quam prudentior. Col. Prudentior
Imo esse quam facetior novero, si erit
Unde. In dies (si occasio) esse bis duos
Scitissime scio atque prudentissime.
Com. Hahahae, tuis digni sales sunt moribus.

Verbo *nexum* ludit in his Asot. 1452.

Livida cutis curarier facillime
Potestur, at *nexum* semel suspendio
Guttur cruci marcescit usque miserrimum.
Apage a gula *nexum* hunc mea.

In verbo *suum* Asot. 1105.

Nam siliquis *suum* cupit ventrem *suum*
Saturare, si sit quispiam, qui porrigat.

Obscoenus lusus est Asot. 453.

Com. Heus, Daetre, te volo. Daetr. Hem, domine, praesto sum, *abutere* ut libet.
Com. Te perduat tuique *abusum* Asphaltus, impurissime,
Uti libet potioribus. Daetr. Quid dixeram? Ut lubet utere
Dicere volenti parcito.

Ex duplici significatione vocabuli *avis* (stolidus) lusus petitur Al. 115.

Sperm. Videsne stolidam feminam illam et quid ferat?
Harp. Quidni? Cohortales *aves*, quam plurimi
Ut veneant, obtrudit ultro singulis.
Sperm. Illam ego ut *avem* delusero mercem auferam.
cf. Asot. 578 An *avis* eiusmodi tibo videor, Impure, quicum lusites?

---

[1]) Iam Plautus exemplum dedit ludendi verbis quorum alterum graecum, alterum latinum est e. gr. Mil. Glor. 369 Ego *mora* (μωρά) *moror* multum, Quae cum hoc insano fabuler; alia exempla vide Lorenz. Introd. ad mil. Glor. pag 6 not.

[2]) Similis lusus Adam 1832 Et o utinam quod ais *modo* haud careat *modo*.

[3]) cf. 570 Col. Scis *graece?* Asot. ita, et *graecarier*.

In Andrisca Georgus sacrificum mulierosum, qui ab irato marito domo eiicitur aspiciens, haec dicit: (1178).

Tusus viro *trusus*que non reclamitat.

Deinde 1190.

Sola fuga Molas redimere gestiens *trusatiles.*

Bass. 453 Bassarus praesidis parasitum invitat his verbis:

Sequatur *umbra*, quod sine *umbra* corpus est?

Iocus vere scholasticus est hic: Laz. 528.

Ty. Fortasse in his non habitat aedibus *Dativus*, ut solet
Dici, sed *Ablativus* epulo quispiam.

Adam 5 poeta spectatores ut silentium servent et attente auscultent admonet in hunc modum:

(Orat author) Ut stetis arrectis (quod aiunt) auribus
Et mentibus, sub *fabula* sine *fabulis.*

Nonnullas habet παρονομασίας (annominationes), quae tum fiunt cum ex parva verbi immutatione significatio diversa vel contraria oritur:

Aluta 51 Discasque *verbere*, *verbulo* quod negligis.

Hac annominatione saepius usus est, ut:

Andr. 1094 *Verba* habes contemptui, iam ad *verbera* Veniendum erit Ios. 378 Mala *verba* dabit et *verbera* 446 sed eamus intro, ne mala Post *verba* denuo sequantur *verbera* 449 tum *verba* herae tum *verbera* hic Observo tacitus 781 Toleret aequa mente dura Iussa *verba*, *verbera.*

Aliae sunt [1]):

Andr. 849 Sint aenei, sint *plumbei*, has ego *plumeas* opposuero (Reuchlin Serg. 81 Adeste mercurialiter, non *plumbei*, sed *plumei*). Asot. 271 rependunt pro *amore amaritudinem.*

Reb. 447 Magister mulierculas dimittit his verbis: Valeant ***merae tricae***, ubi spectatores nimirum subaudiunt *meretrices*:

Andr. 1178 *Tusus* viro *trusus*que non reclamitat.
Lar. 801 miseris *modis modo* contudi.
Ios. 316 *parebimus*, *parabimus*que. As. 470.

---

[1]) Cf. etiam not. ad Petr. 396, 826.

Asiatici atque *Asotici* 623 *vana* est iuventus et *vaga* 659 nam aegre feret se *deprehendi* et *reprehendi.*

Bass. 533 En quam blanditer garrit sua Cum garrula *anicula* et puella *amicula.*

Epistol. 80. Deus non tam *effectum* quam *affectum* iudicat.

Ios. 282 vana quaedam *numina*, aut mage *nomina* 1550 ob *impudentiam* eorum et *imprudentiam* Laz. 762 *Tace, iace*, et putresce 1341 odore ne cadaveris cogamur *affici* et *infici* Hec. 353 tum *vestibus* tum *gestibus.*

Hec. 1673. Diabolus sacerdotem videns Hecasto iamiam sacram unctionem praebiturum timens ne et se et Mortem praeda quam suam iam putaverint effugiat, dicit hoc:

nam sacrilegus hic e pixide
Sua (uti solet) aegro vitae edulia porriget
Aditumque *letho* neutiquam *laetum* sinet.

Bass. 139. Bass. Bona *verba.* Creob. Bona *merda.*

Daetri nomine ludit Asot. 1218

Nunc in phylacam trusus est
Daetrus coquus. Nunc in malam merito crucem
Deterrimus subrectus est Comasta.

Verborum forma et sono ludit variis modis. Ac primum quidem componit vocabula, quae eadem litera incipiunt aut plures literas habent communes velut:

As 68 *v*ado *v*enio 248 hunc *sa*cculum *sa*turavero 535 *fu*gae *fu*at si occasio 586 quo *verbero verborum* hic ingens ambitus? 645 in om*ne* *p*assim flagitium *p*eius *p*riore *p*ertrahit, 1541 quantum boni in *portu port*enditur 1646 Quantum Foro *Port*une *pr*aestes *pr*odit *opport*unitas Reb. 124 *v*irenti *ver*bere. (cf. Petr. 586, 656) 485 *per*petim *per*sonant 903 aura *v*escier *v*itali Petr. 618—19 decebat *ulmeis* Caedi flagris, non *ungulis* discerpier 62[x] sta *fur fu*gax Laz. 238 *b*onis *b*eavit 811 *m*erear *m*iser 828 Sapone quo manus meas hoc *pu*re et his *Pu*toribus *p*iabo, *p*rorsus nescio Ios. 218 *f*amae *f*idem 1246 *v*ictoriosa *v*eritas Hc. 313 ad *f*abulandum aut *f*eriandum confluent I. S. 467 tum *pavori* tum *pudori* Asot. Arg. 17 *implorat, impetrat* 50 *lo*nge *lo*cis distantibus 52 *pro*xima in *pro*scaenio 1331 *compt*ulas *comp*osuero Reb. Arg. 3 *lu*sibus *lu*xu Al. 74 *cav*ero *cav*eam Andr. 1067. Te serio suaviterque saepius monui.

Plerumque vocabula quae componuntur eiusdem stirpis sunt, ut:

Asot 10 parabolam spectantium *probis probamus* mentibus 241 *scitissime scio* 619 *fugam fugax* meditatur 835 *coeno obscoenior* 1077 nece *amara amaror amarior* Reb. 251 *curantibus curas* linquamus 384 *quae*, *qualis* aut

quanta 837 *parete parentibus* Al. 552 Adrepta *Baccho Bacchidum* more hactenus *Bacchata* 1265 cave *graves grave gravioribus* malis Andr. 380 *noctuae noctu* volant 741 *foculo foveri* [1]) 1194 *grandire grandius* haud meos potui *gradus* [2]), cf.

Bass. 425. Praeses est,
Qui dignitatis negligens suos *gradus*
Grandire cum vulgo haud veretur, nec tamen
Grandem procellae evadit *impiger impetum*.

Laz. 595 *Laconicos* vobis *Lacon* statum meum et Quaestum explicabo 642 *caecutiens* dux *caeco* adest Ad. 36 In hanc *miser miseriam* trusus est 742 *miseros miserans* 748 *miseros miseratus*, Petr. 1009 *miser miserabilem*

Hyp. 732 *Miserere* nostri quesumus
Miserere, *misericors* Deus,
Multa repleti enim sumus
Despectione *miserrimi*.

Ad. 1150 proto*plaste plastae* imago maximi 2186 sine *gravedine gravida* I. S. 340 cum *puerulo puer* Asot. 211 *macretudine maceror* 224 *foetus* gemellis *foetibus* Andr. 179 Vale *meretrix* ut *meres* Hyp. 875 *amaritudine amarius* Asot. 920 Quod *iniquus aequa* passus est.

Nonnunquam sunt eiusdem nominis casus diversi.

Asot. 942 Quid *ociosus ociosa* amplecteris? 1077 Ero *fortiore fortior* Reb. 84 accelerant *gravem* senectutem *graves* curae 770 *malis mala* meruimus Petr. 56 musisque *candidis* favete *candidi* Petr. 785 *stupide stupidum* Andr. 1108 Te *vir virum* praesta Laz. 308 Alumna *mortis morte* acerbior fames Ios. 857 cum *parvulum* non *parvula* pecunia mercatus essem 1143 *curas curis* aggravat I. S. 428 *puerum puer* sequor libens 430 sequor cum *parvulis* ut *parvulus* 1173 rogamus *singuli* vos *singulos* Laz. 156 donec *gulam* Titillat *esca escamque gula* diiudicat.

Aut eiusdem adiectivi diversi gradus:

Asot. 271 *vero verius* 940 *levis levissimorum* sequere contubernia Andr. 776 *verius verissimo* Laz. 1090 *bellissimo bella* uxor est Ios. 906 *aperta* signa *apertius* refellito Ad 1860 *tardos* moremur *tardiores* I. S. 518 Verum loquantur *doctiores doctius* Asot. 724 *hero herilior*.

Interdum eiusdem verbi diversae formae componuntur, imprimis gerundivum cum alia forma.

Asot. 524 haud *videntem* se *videt* Reb. *agunda agamus* 256 Ut nos didas-

---

[1]) cf. Plaut. Capt. 816 epulas *foveri foculis ferventibus*.
[2]) cf. Plaut. Curc. 120 *Grand*iorem *grad*um ergo fac ad me.
Epid. 13 ut tu es *gradibus grandibus*.

calus putet *discenda discere* Petr. 496 *claudenda claudito* 497 *aperienda aperi.* Bass. 360 sine me *coquenda coquere* Hec. 182 *coquito* quae *coquenda* sunt.

Interdum contraria componit.

Reb. 67 Vos inquam adeste *garruli non garruli, loquaculi*que *non loquaculi* Reb. 151 qui *lenibus* verbis flagris non *acribus* doceat eos 917 recipe *faciles* quos passus es *rebelles* (cf. Epistol. 86 Recipe tandem *poenitentem* quem hactenus *praevaricantem* passus es) Petr. 663 *laetis*que poclis abluamus *tristia* 1222 has literas *geminas* Petriscus filius tuus *unicus* mittit (Epistol. 90 *uno* crimine *gemino* me delicto involvunt).

Andr. 833 Sit *rigidus* absque *tyrannide*, sit *mitis* absque *ignavia.*

Asot. 1430 sqq. Si *quid* feras, *acceptus* es
Si *nil* feras, *exclusus* es;
Si *quid* feras, *amator* es,
Si *nil* feras, *amaror* es.

Bass. 472 *Parum* habeo, *multum* debeo Ad. 1370 *bona* iussa dei *male* sprevit Hec. 939 *improbum* iussum *probe* abnuimus.

Oxymora sunt.

Hec. 1862 *Fides malefida.* Asot. 219 *Serio iocor.*

Homoioteleuta habet Macrop. satis multa, quorum nonnulla quae etiam dicendi ubertatem et abundantiam demonstrant in Cap. IX suum locum habebunt. Hoc loco adscribimus haec: Asot. Epist. Nunc. 3 sqq.

Volui profecto saepe gratificarier
Aliquo tibi munusculo. Verum quia
Neque aureo, neque gemmeo, neque tyrio
Inops queo, tentabo literario.

Asot. 709—10. Ohe, domus plena est ligurien*tium*,
Bacchan*tium* quoque et meretrican*tium.*

As. 718. *Clamo* re*clamo*, *pulsito* re*pulsito.*

„ 875. *Stando* resti*tando*, *eundo* red*eundo.*

Al. 62. *Sto* resti*to*, *sedeo* re*sideo.*

Andr. 1048. Me *spondeo* et re*spondeo* viro fore Morigeram. (Nonnulla eiusmodi habet Reuchlin, ut Serg. 33 *bibo* re*bibo*).

Asot. 912. Procedat et col*ax* vor*ax*.

„ 1248. Pa*ter* gem*it*, *frater fremit.*

„ 1250. Gem*at* senex delirus et *frater fremat.*

„ 1358. Mater*culas*, soror*culas*, uxor*culas*, ami*culas.*

„ 1166. Nisi vostr*a* cru*ra*, *vostra rostra*, vostr*a* coll*a* penditis minimi.

Reb. 37. itaque adeste cum silentio
Paup*er*, lac*er*, mis*er*, pig*er*, scab*er*, glab*er*.
Reb. 950. Cavete ne vestram per indulg*entiam*.
Vestri insolescant liberi ob lic*entiam*.
Al. 7. Mox quemadmodum bacch*abitur*, spoli*abitur*
Cur*abitur*que, si licet, spectabitis
„ 28. Dico omnibus, sed maxime petulantibus
Inep*tulis* et par*vulis*, ne lus*ibus*
Pueril*ibus* cachin*nulis*que tin*nulis*
Nos distrahant, ne vapulent.
Al. 78 Verum Aluta, ut inquam, caverit
Heinonis uxor, ne dolo implan*arier*
Cuiuspiamve astu queat spoli*arier*.
Al. 83. Bib*endum* erit, ed*endum* erit cf. 224.
„ 287. *Anc.* Infunde, bibe, dein solvito. *Al.* Cur*abitur*.
Anc. Nisi tute cures, gallus hic serv*abitur*.
„ 98. Pereo fame mis*errimus* nig*errima*.
Petr. 754. Haec trado vobis *largiter*.
Et nos tibi utram volueris amiculam
Nostram *suaviter*.
„ 761. Tractate *comiter*, fovete *molliter*,
Amate *dulciter*, dum obambulabimus.
„ 1176. Uxor proc*ax*, gnatus rap*ax*, fur*ax* puer.
Andr. 334. Ed*is*, bib*is*, graecaris atque aes prodig*is*.
Bass. 73. Spec*tate*, *state*, silete, Bassarus exiet.
Laz. 162. Donec *libebit* et *licebit* 461 miranda in *solo* et in *polo*
1344 *polo solo*que pondus indignissimum.
Ios. 509. Nulla est mihi
Coniugii honesta tecum hera mea *dignitas*,
Nulla igitur esto illiciti amoris *foeditas*.
Ios. 810. Pal*lor*, ru*bor* liv*or*que id vultu indicant.
„ 1606. Neque me latet fraterna coniur*atio*
Falsaque mulieris de stupro insimul*atio*.
Adam 881. *Poli soli*que.
„ 919. Quis subitus hic *sonitus*, *tonitrus*, fulmina atgue fulgura?
Cf. Bass. 582 *Sonitus*, *tonitrus*, *crepitus*. [1])
Adam 2132 sqq. Salve puella grati*osa*,
Davidis e stirpe gene*rosa*
Dominus Deus tecum tuus
Benedicta tu in mulieribus.

[1]) Plaut Amph. 1062 *Strepitus*, *crepitus*, *sonitus*, *tonitrus*.

2182 sqq. Sic quod erat ante saec*ula*
Ex te beata virg*ula*
Verbum Dei factum est caro.
Erisque virgo θεοτόκος
Et sine gravedine gravid*a*
Et sine dolore puerper*a*.

Hec. 135. Sint fr*ixa*, sint el*ixa*, sint ass*ata*, sint liq*uata*.
„ 735. O saeva *mors*, o dira *sors*!

Inter eos quos citavimus versus, nonnulli inveniuntur in ternas divisi dipodias, eosdem vel similes exitus habentes. Amat hoc Macropedius; alia huius consuetudinis exempla sunt haec:

Petr. 630. Scortabitur, furabitur, bacchabitur.
„ 735. Vincti sumus, tracti sumus, caesi sumus.
Andr. 166. Laetandum erit, bacchandum erit, potandum erit.
„ 884. Cecidero, laniavero, foedavero.
„ 1193. Emenda erant, purganda erant, coquenda erant.
Bass. 90. Ducendus est, gestandus est, vehendus est.
„ 459. Et teneant et puniant et dissipent Trifurem.
„ 616. Mendacium, voracium, rapacium
Et heluantium imperator.
Ios. 425. Superbiam, proterviam, insolentiam.
„ 992. Probabitur, servabitur, honorabitur.
Adam 1929. Christum meum, Iustum meum, gnatum meum.
Hyp. 889. Aegri sumus, scabri sumus, miseri sumus.
„ 1217. Patientiam Veneramini, amplexamini. osculamini.
Hec. 1010. Disiecta sunt, lassata sunt, soluta sunt.

Ut in diverbiis sic in lyricis strophis nonnunquam versus iisdem syllabis exeunt. Ex. gr.

Asot. 366 sqq. Horum omnium tamen interim
Fore liberi immemores solent.
Levibus rependunt *moribus*
Pro amore *amaritudinem*.
Sed tu, probae indolis puer,
Tantis tibi *laboribus*
Obitis referre gratiam
Stude, et *vicissitudinem*.

Aluta 408 sqq. Ut se sues spurcissim*ae*
Caeno lutoque immersit*ant*
Ita inebriatae femin*ae*
Vomitu atque oleto se inquin*ant.*

Hec. 1209 sqq. Morte iustus si occupetur
Neutiquam trist*abitur*,
Mente sed feret ipsam alacri,
Quod refriger*abitur.*

CAPUT IX.

De sermonis copia et ubertate.

Inter boni poetae comici virtutes haberi solet sermonis copia et ubertas, quae et ipsa delectationem quandam praebet, et iocandi materiem suppetit et sua cuique affectui verba praestat, praesertim ne illos qui concitatiore animo loquantur verba deficiant cavet; qua in re Plautum maxime excelluisse et a veteribus grammaticis audivimus et cernimus ipsi. Macropedius autem, quamquam cum Plauto conferendus non est, tamen et ipse magna utitur verborum abundantia. Itaque saepe eandem rem variis modis exprimit et synonyma cumulat; saepe ipse etiam verborum copia et sonitu delectari videtur. Nonnunquam tamen non poeta sed ludimagister ex personarum ore loquitur, cum multa enumerat vocabula non ut spectatores delectentur sed ut erudiantur pueri scholae Hieronymianae. Sic omnia quae ad mensae apparatum pertinent enumerantur Hec. 310:

Vos fulcra, mensas, gausape et mantilia,
Orbes, quadras vasaque parate ut iusseram.

Vestis genera Hec. 446:

Niteant parietes byssinis, hyacinthinis, holosericisque Tapetibus.

Mundi muliebris instrumenta Asot. 1344:

Defer, puella, crepidulas,
Sandalia, armillas, calyptra, chirothecas, vittulas,
Flabella, amomum, galbanum, storaca, thus et reliquum
Mundum utriusque nostrum, et almae Veneris incitabulum.

Odores Ios. 394:

Volo deinde cubile nostrum aspergier
Verbena, abrotanio, amaraco atque pluribus
Herbis suave olentibus, Veneris sacrae
Olim dicatas [1]) ludicris.

(Vulgat. Proverb. 7, 17 sequitur in his: Ios. 652 Stravi cubile et mirrha et aloe et cinnamo).

Hec. 448 Loca singula Styrace, thure et galbano suffita sint.

Asot. 495 coquus laetus exclamat:

Intro sequor, coquo, lixo, torreo, condio, apparo splendide!

Cibis enumerandis et coena describenda delectatur M.

Bass. 363 Capum ego quidem
Novemque ficedulas veru affixos coquam,
Duosque pullos primulum elixabo aqua,
Dein croco, pipere, cinamomo et saccaro
Bacchum imbuam. Hier. Recte. Gr. Et in eo excoctos parum
Tibi iurulentos offeram.

Andr. 163. Iussi anserem, lepusculum
Farcimina et pernas parari lautius.

Asot. 436. E foro Passerculos, ficedulas, anates, lepusculum et anserem
Dudum attulit.

Synonyma cumulantur Ad. 345:

Semen aliud sanctum, pium, iustum, innocens.

Ad. 1130. Sibi canes caedit, flagellat, lancinat 1351 quae mihi Conflanda, texenda exstruendaque Elohim monstravit. Ios. 916 Quanto magis saevit, furit, ferocit haec.

Multa alia exempla afferre possumus ubi magna vocabulorum copia non de industria enumerari sed ut ex uberrimo fonte sua sponte effundi videtur. Laz. 130 sqq. domus et opes hominis praedivitis describuntur; audiamus igitur Laemargum ut divitiis affluit ita verbis quoque luxuriantem: (ad uxorem loquitur):

---

[1]) Sic in utraque editione scribitur.

En plena divitiis domus. Triclinia
Superba pictis lectulis, et cubicula
Eburneis cubilibus; tua scrinia
Referta bysso, purpura et holoserico
Nostrum utriusque cultui; laquearia
Et cuncta fulgent atria peristromatis,
Tapetibus et emblematis; purissimo
Vino atque olivo exuberant penuaria,
Cumulata farre et tritico granaria
Bonisque onusta reliqua promptuaria.

Asotus 148—152 Eumenius de se praedicat haec:

Non pyrirapis, furacibus, raptoribus,
Non turpibns, salacibus vel mollibus,
Non mulierosis sive fornicariis
Non sacrilegis, fidifragis, nugigerulis
Calumniantibus, nec id genus aliis Me asserui.

Asot. 1014. Filium admonet his verbis:

Ne iungere
Potantibus, scortantibus, voracibus
Rapacibusque et id genus nihili viris.

Asot. 932—35. Philaetius prodigum fratrem sic increpat:

Quid frater est, quod post tuam insolentiam,
Temulentiam, petulantiam, lasciviam,
Post ducta scorta, post domus rem perditam
Adhuc patris te subtrahis conspectui.

Nec minus acriter Georgus uxoris vitia reprehendit.

Andr. 1078—82. Volebam quidem non asperam
Tecum agere vitam, sed modestam, liberam,
Laetam et quietam, si liceret per tuam
Andrisca contumaciam, proterviam
Putremque gastrimargiam.

Hecastus a Dei legato accusatur in hunc modum:

Hec. 632. Hic suo tribunali iubet
Te assistere, ut simul exigaris omnium
Quae gesseris rationem et arctum calculum;
De idololatria, infedilitate, deque falso
Iure iurando, dolo, periurio,
Fastu, gula, luxu, libidine, accedia
Furto, philargyria, rapina, caedibus,
Livore, bile et id genus facinoribus.

Eiusdem vitia hilarius et iocosius recensentur a Sathane. Hec. 1586 sqq.

Primum omnium superbus est
Et arrogans, tum in aedibus, tum in vestibus;
Laemargus est, scortator est, adulter est,
Oppressor est, detractor est, derisor est,
Odiosus est et invidus, donat nihil,
Orat nihil, ieiunat aut vigilat nihil,
Nihil boni unquam gessit, at semper mali
Quam plurimum.

In choro Iosephi ubi Bacchi laudes praedicantur legitur haec stropha Ios. 1272.

Ut unus ipse iusserit,
Necant, remittunt, verberant,
Vastant, struunt, vellunt, serunt
Et unus ipse immunis est.

Non solum tamen gaudio et ioco, sed etam dolori sua verba praestat Macr. Velut Eva Abelem filium caesum inveniens, dolore amens exclamat: Ad 230.

Heu gnate Abel, qui tam fuit frater tuus
Crudelis in te, durus in mea viscera, in
Deum impius, ut in innocentem, amabilem et
Piissimum ita saeviret, insaniret, ut
Te caederet, mactaret atque extingueret?
Heu membra pulchra et amabilia, quam lurida,
Tumida, rigida, vestro in nigrante sanguine
Collisa iam tabescitis.

Unum addimus exemplum. Hyp. 254 (de Christo loquitur):

Altissimi patris relicta gloria
Trabeaque amictus carnea, lutulentam in hanc
Vallem, cavernam, ergastulum, has in lachrimas,
Tenebras calamitatesque multo plurimas
Se immisit, involvitque et immersit penitissime.

CAPUT X.

Anaphora. Antithesis. Iteratio.

Macropedius ut est simplex et usitato sermone contentus figuris rhetoricis raro utitur. Unam tamen crebro adhibet, anaphoram dico, et saepe quidem cum antithesi coniunctam. Quae etsi minus fortasse ad comicum sermonem pertinere videtur tamen hoc loco eam tractandam putavi. Anaphora enim ita ut verborum cumulatio ad vim orationis augendam adhiberi solet, ac saepe versus vel versuum partes quae iisdem vocabulis incipiunt exitus quoque habent eosdem vel consimiles. Quare anaphorae usus iis quae in superioribus capitibus tractavimus affinis esse putandus est. Anaphorae autem cum pleraeque in lyricis carminibus et in fabularum choris inveniantur ex his primum nonnulla exempla afferimus.

Cantilena anni 51, 65—72.

Te pelles variant, *hunc* neque lanea,
Te plumae refovent, *hunc* neque gramina,
Te tecta alta tenent, *hunc* casa vilior
En quam christicolam refers.
Nos natale solum vernaque tempora,
Nos matrem genesi divitem et inclytam
Nos ceras cupimus stemmate splendidas,
Hic quaecunque molesta sunt.

Hec. 86 sqq. *Quid* tibi gazam, *moriture*, condis?
Quid voluptates, *moriture*, anhelas?
Quid vel affectas, *moriture* honores
Interituros?

Andr. 436 sqq. *Luxuria* corpus inquinat,
Luxuria mentem obnubilat,
Luxuria cunctis sensibus
Vivacitatem detrahit.

Andr. 256 (de bonis agricultura paratis)
Nil colligis his iustius
Nil possidebis tutius,
Nil his relinques dignius
Tuis beandis liberis.

Asot. 627. *Sola* est voluptas, cui studet
Sola est libido quam cupit.

Aluta 259 sqq. (De scurris circumforaneis)
Hi callidos facetiis,
Hi simplices astutia,
Hi singulos fraude ac dolo
Pro ventre passim irretiunt

Andr. 807 sqq. *Vir* imperat, *vir* consulit
Remque administrat publicam,
Vir iudicat, *vir* praesidet,
Vir docet ubique gentium.

I. S. 483 (de puerorum institutione)
Hanc palaestram tolle mundo
Destrues ecclesi*am*,
Destrues sacrum et prophanum,
Destrues rempubli*cam*.

Ex diverbiis afferimus haec.

Ios. 1668 *Iam cerno quod* divinus in te spiritus,
Iam cerno quod Deus tuus verus Deus.

Adam 277 sqq. (loquitur de colubro Paradisi)
Nunquam mali libidinem *non* suggerit,
Nunquam bonis successibus *non* invidet,
Nunquam neci et periculo *non* ingruit.

Adam 906. *Mandata temere* poscitis, *mandata temere* habebitis.
Hec. 376. *Tempus terendum* lusibus? *Tempus terendum* poculis?
Ios. 1109. Heu *vir* pudice, *vir* fidelis, *vir* probe!

Hec. 1996 sqq.
Linquamus omnem hunc apparatum splendidum,
Linquamus cuncta in usum pauperum,
Linquamus omnem luctum inanem et lachrymas,
Moresque nostros corrigamus pristinos.

Hyp. 665 sqq. (loquitur David).
Nam *cor meum* deo, *paratum cor meum* [1]),
Paratum ad adversa et *paratum* ad prospera,
Paratum ad omnia. Si offerat regni mihi
Sceptrum, *paratum cor meum*. Sique inferat
Fugam aut periculum, *paratum cor meum*;
Patientem ubique et mansuetum invenerit.

---

[1]) Cf. Psalm. 107, 1.

I. S. 730 sqq.

Nihil mihi tribui volo, patres mei,
Sed veritati plurimum. Sermo meus
Si veritate vacuus est, reprehendite
Si veritate nititur, concedite.

Antitheseos exempla sunt haec: Andr. 1143–45.

Ut hactenus fui rebellis, contumax
Et improba, ita morigera posthac, blandula et
Frugalis ero, mi vir.

Laz. 806.

Neque calidum neque frigidum (velut inquiunt)
Nec aridum, nec humidum in os meum intuli.

Hec. 1930 sqq.

Heu pectus *ante eburneum*, *nunc luridum*,
Heu venter *ante turgidus*, *nunc flaccidus*,
Heu tibiae *ante candidae*, *nunc lividae*,
Heu cuncta quondam vegeta, nunc prae se ferunt
Mortis pavendae imaginem.

Ad. 776. O Haeva, mater omnium *viventium*, immo verius
Multo, omnium *morientium*.

Ios. 1247 sqq. Vinum bibentes decipit,
*Regis*que mentem et *orphani*
Vernaculi atque *liberi*,
*Pauperrimi*que et *divitis*
Facit unius sententiae.

Anaphorae affinis est eorundem verborum crebra iteratio qua uti solent homines, qui perturbatiore animo loquuntur, praesertim ira incensi et indignatione commoti. Sic Hecastus Dei legato indignatus respondet haec: (Hec. 524 sqq.).

Quid, num Imperator me sibi
Servum, colonum, debitorem aut oeconomum existimat?
Ut referam ei omnem calculum de singulis? An non licet
Mihi de meis quod *volo*, quantum *volo*, quando *volo*, et
Quibus *volo* et quemadmodum *volo*, meo pro arbitrio
Impendere?

Alia exempla sunt haec:

Reb. 418. Spiritus Demens cerebrum hoc suggerit *tibi* fulmine,
Tibi furiis, *tibi* tartaro dignissimo.

Hec. 1183. *Hoccine* est opus famulantium?
Hoccine proborum? *hoccine* et hero fidelium?

Aluta pecunia carens cauponariae gallum pignori capere paranti se debitum mox soluturam promittit; Al. 319:

Mox aderit hic pecunia,
Mox aderit et Petronius. Tolm. *Mox*, *mox!* nisi
Mox solveris, quia usque *mox*, gallus meust.

Optime in Asoto patris dolorem et maestitiam exprimit haec iteratio: Asot. 1415.

Quisnam dabit
Capiti meo fontes aquarum, ut lachrymer noctu, *fleam*,
Diu *fleam*, semper *fleam* te, fili Asote, perditum.

Ita in scaenis ubi homines pugnantes et rixantes, verberantes et vapulantes inducuntur, singulos ictus saepe eadem verba comitantur, ut Andr. 353.

Sile frutex, *tun' imperaveris mihi?*
Tun' imperaveris mihi? sile frutex
Et stirps inutilis.

Sic Byrsocopus ad sacerdotem in adulterio deprehensum, quem tamen caedere nefas est Andr. 1172.

At *tu tunditor*, *tu tunditor*,
Ne vapulasse dixeris, *tu tunditor*,
Tu tunditor!

Laz. 771 sqq. (Mendici Bronchus et Typhlus a Thraso servo propelluntur ab ianua).

Br. Qui cesserim, qui claudico
Miserrimus? Thr. *Iam claudica!* Br. Heu! Thr. *Iam claudica!*
Br. Heu!
Thr. *Iam claudica!* Br. Heu me miserum, ut hic mihi panis est
Acerbus et durissimus! Thr. Quid tu quoque
Moraris hic, palpator improbissime?
Typhl. Quo abibo, qui solis iubar non intuor
Hoc absque duce? Thr. *Duce hoc abi!* Ty. Heu! Thr. *Duce hoc abi!* Ty. Heu!
Thr. *Duce hoc abi!* Ty. Heu miserrimum, qui nihil
Refero aedibus, nisi verberum amplas copias!

Cain Abelem fuste occidens: Adam 206.

Abel. Animam meam insons offero. Ca. *Offer deicola,*
Offer deicola, offer deicola atque morere!

Andr. 986 sqq. (Byrsocopus de uxore adultera poenas sumpturus est).

PORNA. Au, quid carnufex huc irruit?
Tuam fidem, mi vir! BYRS. Fidem? Quam tu fidem? POR. Heu!
Tuam fidem obsecro, obsecro, heu! BYR. *Sic discito!* POR. Heu!
BYR. Viro obloqui. POR. Heu! BYR. Cum sacrifico moecharier
Sic discito! POR. Heu miserrimam! BYR. *Sic discito!* POR. Heu!
BYR. Me ludere. POR. Heu! BYR. Per linteum. POR. Heu!
BYR. Per hydriam. POR. Heu!
BYR. *Sic* me famente et bibere et esse *discito!* [1])

CAPUT XI.

De Deminutivis et Blanditiis.

Deminutivis Macropedius ut aequales eius saepissime utitur, quae consuetudo ex vita quotidiana sumpta apud veteres quoque comicos, Plautum praesertim, apparet. Poetae autem, qui post literas renatas comoedias scripserunt plerique deminutivis abundant et multa usurpant quae apud antiquos non leguntur. Antiquis iam temporibus deminutiva multo saepius in sermone quotidiano quam in scriptorum operibus adhiberi solita esse statuere licet; e quibus nonnulla tam usitata facta sunt ut ea, a quibus derivata sint vocabula prorsus ex hominum usu expulerint. Quae consuetudo etiam nostri temporibus obtinuisse videtur; apud Macropedium certe inveniuntur permulta, quorum in numero non pauca sunt quae apud veteres non legimus. Haec autem vocabula non solum vim proprie deminutivam habent, sed etiam varios affectus significantes diversos colores sermoni addunt. Ac primum quidem habent alacrem quandam et iucundam hilaritatem, et saepe sunt in ore eorum hominum qui bonis quas vita praebet rebus laeti fruuntur, suis contenti

[1]) Alia exempla citantur Cap. XII.

neque aliis invidentes. Ita homines iucunde et suaviter coenantes cibos deminutivis appellare solent. Audiamus Laemargum fratres suos et amicos ut strenue bonorum convivarum officio fungantur adhortantem: Laz. 1078 sqq.

Daemones, tu his clunibus
Lepusculi clunes tuos pasce. Hosque tu,
Merimne, quin *capunculos* deartuas?
Quin uxor haec discerpis altilia? Quid hos
Fratres mei non dissecatis *turdulos*
Perdiculas, ficedulas et *mergulos*? [1])

Hilaritatem significant quoque deminutiva in locutionibus nonnullis quae aliquoties apud nostrum inveniuntur. Quales sunt: Bellos *homunculos* agere:

Asot. 203. Et indulgere Genio et *homunculos*
Bellos agere mensis iocisque Sybariticis.

Reb. 325. Agamus amodo *homunculos* bellos.

„ 588. Edamus et bibamus atque *homunculos*
Bellissimos agamus.

Al. 227. Uterque iam te intro sequimur
Bellos *homunculos* ibi acturi.

Petr. 769. Bellos agamus *homunculos*, meae animulae.

Cf. Asot. 603. Cum bellulis *homunculis*
Et candidis puellulis
Porrigere frontem si libet
Id propter inopiam haud licet.

Cuticulam curare altera eiusmodi locutio est.

Asot. 1246. Iam vero eamus ut *cuticulam* molliter
Curemus.

Reb. 494. Nos contra in hanc tabernam eamus, *cuticulam*
Curemus Cerere, Baccho et epulis splendidis.

Bass. 209. Blande et suave *cuticulam* curabimus.

---

[1]) Alii loci ubi cibi deminutivis appellantur, sunt: Asot. 245 *pernulis*, 435 *Passerculos*, *lepusculum*. Al. 40 *turduli*, 41 *placentulae*. Bass. 153 *murenulae*. 1010 *sucula* Adam 826 *lactuculis* Hyp. 877 *holusculum* I. S. 656 *rapunculi*.

Qui iocose de pecunia loquuntur saepe in ore habent *crumenulam*:

Asot. 613. Iccirco patrem accessero
Rogaveroque ut impleat
Meam aureis *crumenulam*

„ 1227. Aes subrogat *crumenula*, aetasque Venerem.

Reb. 461. (Diabolus duos rebelles pueros videns)
Laqueos meos mox incident
Dum acceperint *crumenulam*.

„ 482. Clop. at *crumenula*
Ut sese habet? Num turgida est? Dysc. Plena admodum. [1])

Sic etiam saepe pro nummis *nummuli* leguntur, non semper tamen cum hilaritatis significatione.

Reb. 174. Si *nummulis* crumena turgeat, quid est?

„ 289. Haud te equidem cecidissem, dolo
Ni sustulisses *nummulos* meos.

Al. 213. Hem, *nummulos* primum!

cf. Petr. 794, 988.

Alii loci ubi hilaritatem significant diminutiva sunt.

Andr. 187. Habes *lagenulam*? habeo, *pinguiusculam*
Quoque altilem. Bene est animule, acceptus es.

Asot. 597. eamus intro, nam
Ardet videre *corculum* quae dixti.

Petr. 743. Jam, *amiculi*,
Videte quis me dotibus *fortunula* Beaverit.

(De re angusta vel incerta tamen *fortunulae* Asot. 600 meminero, dum sinent *fortunulae*. Al. 95 Harpax, ut tuae *fortunulae* se habent?)

Deinde deminutiva saepe caritatem significant, quare multa sunt in amantium blanditiis.

Reb. 194. ludi magister discipulorum suorum amantissimus mulieres filios curae eius committentes alloquitur in hunc modum:

Tirunculos, fidei meae quos sistitis
Tuebor et docebo tanquam proprios;
Et, quaeso, sinite me regere *iuvenculos*.

[1]) Sine ulla hilaritatis aut ioci notione. Al. 441 nam ubi Toga est? Ubi ricula? Ubi *crumenula* nigricans?

Asot. 551. Tun'es, Colax? Ego sum *animule.*

„ 1244. Mea *animula* Planesium.

„ 1361. Mi Asote, amor meus, meum *pectusculum.*

Petr. 763. Videon' *lepusculum* meum? *passerculum* meum?
Ades, *amatorcule*, ades! Ecquid stas foris?
Ingredere, belle *amicule!*

Ios. 196. Pot. Iamiam vale, mea *turturella*, iam vale.
Aegla. Vale, marite, *corculum* meum, vale.

Postea eadem Aegla magis ex animo Iosepho ita blanditur. Ios. 536.

Eia ergo, *melculum* meum, fruere meis complexibus.

Lenem quoque irrisionem saepe habent deminutiva. Asot. 214 Comasta Colaci de ventris doloribus querenti remedium commendat:

Ex renibus morbo laboras admodum
Gravi, ex *vitellulo* tibi *pulticulo* opus est.

Nec latet irrisio Colacem; respondet enim his verbis:

Dii deaeque perduant te, flagrio,
Meam inediam querebar, et scelus obiicis?

Acerbius est quod uxor marito bene verberato dicit:

Petr. 639. Sic terge *ocellos*, atque abi in malam crucem!

Diaboli ut bene Laemargum accipiant parantes: Laz. 1133

Ast. Quo sacculum fers, Belial?
Bel. Ad hunc voracem divitem.
Ast. Quis usus isthic sacculi?
Bel. Feram inseremus *blandulam.*
Ast. Tam delicatam hanc *animulam?*
Bel. Hanc *blandulam* et vagam *animulam.*

Deinde Deminutiva saepe usurpantur ab hominibus se vel alios miserantibus:

Reb. 371. Adusque effusionem sanguinis
Lacerata *cuticula* est.

Al. 60. nemo erit qui porrigat
Vel *crustulam* panis vel haustum aquae.

Laz. 224 inops *mendiculus*

„ 244 vel *miculam* siccamve panis *crustulam.*

Hec. 1104 Neque ullus est ex omnibus charis meis,
Qui *verbulum* solatii mihi suggerat.

Ios. 471 mihi miserae et *Iuvenculae* vitam suavem protrahes.
Adam. 260 levemus hoc *corpusculum*.

I. S. 51 velut *oviculam* Ducent ad aram innoxiam.

Omnino deminutiva blandam et mitem habent teneritatem, ideoque frequentes inveniuntur in Iesu Scholastico, senili opere, stilo remisso et miti scripto; accedit quod pleraeque personae pueri sunt.

Contra nonnunquam habent contemptionem et reprehensionem.

Lar. 1003 *mendiculi* Asot. 691
O timidiorem lepore, num *cornicula*
Te terret unica? Nec corax, nec noctua aut
Cornicularum mille me deterreant.

Hec. 1693 horariae *preculae*. Petr. 85 scilicet *Audaculus* procaxque per me desinat? Bass. 94 num abis, *loquacula*? 380 Iam tandem ades, *mollicula*? Andr. 177 Abi, *meribibula!*

Modestia quoque et humilitas deminutivis significatur.

Ad. 2104 me *ancillulam* Dignetur ipsa admittere 2390 Unde hoc mihi, ut domini mei Mater me *aniculam* visitet?
2481 Illum adora qui tibi *Conservulum* me fecit.

Ad Blanditias referendum quod etiam a nominibus propriis nonnunquam deminutiva formantur:

Asot. 1379. Occurrit ecce *Thryptulus*. Reb. 563 *Dromellula*.

Al. 380. Quid sordida es, mea *Alutula*?
O Heino, serva *Alutulam* tuam! Labo. —
Ego (ne time) te sustinebo, *Alutula*.

De deminutivis quibus appellantur mulieres.

Mulieres a Macropedio eiusque aequalibus ludibrio haberi solent, tractanturque alias blande et comiter, alias cum leni irrisione, nonnunquam cum contemptione acerba, unde fit ut

saepe deminutivis appellentur. Sunt autem haec:

1 *Muliercula.* Hoc vocabulum cum variis adiectivis coniungitur:

Reb. 220 *Stultissimae* mulierculae Bass. 517 *Sordida* muliercula Andr. 641 domus mea patet *probis* mulierculis. Contra Bass. 186. En *improbam* mulierculam.

Matronae honestae et satis opulentae, discipulorum matres, a scholae rectore sic appellantur;

Reb. 422 te contine Muliercula, ne quid temere.

Sic etiam Pompus nuntius 732

Quas hic duas mulierculas prope intuor confabulantes?

Postea tamen eas alloquens *matronas honestas* appellat (cf. Petr. 344, 352). Petr. 493 Filii pravi de matribus loquentes:

Mercatum abisse nos putent *mulierculae.*

Laemargus post colloquium quod cum uxore habuit:

Laz. 166 Quid non huic persuadeam *mulierculae*?

Pharao severe ad Potipharis uxorem: Ios. 1918.

Etsi quidem tuam per impudentiam, libidinem
Ac virulentiam magis peccaveris, *muliercula* cet.

Satis benigne nomodidascalus Epicuriae salutationi respondet Hec. 389.

Ep. Salve vir inclyte. Nom. Salva sis, *muliercula*!

De meretricibus leno:

Reb. 537. Discrucior hei miser leno,
Tam quaestus hic *muliercularum* exiguus est.

Rarius invenitur 2 *Puellula.*

Asot. 1150. Cum suavibus puellulis et dulcibus
Sunt poculis tractanda gaudia.

Asot. 1334. Comptis puellulis meis mox subsequar.

3 *Uxorcula* invenitur Petr. 649 ubi Galenus post plagas quas ab uxore accepit lacrimans dicit:

Cum mea *uxorcula* iurgatus exeo.

Videtur hoc vocabulum saepe vim deminutivam plane amisisse cf. Bass. 83, 102, Ios. arg. 12 Hec. 122 Andr. 821:

Vult namque non serviliter
Obediendum uxorculae.

Non sine irrisione Andr. 1036.

Sacrificum amans uxorcula Me non ferebat coniugem.

4 *Meretriculae* apud Macrop. satis saepe et inducuntur et nominantur, imprimis in Asoto; filius enim prodigus duabus eius generis amiculis totum se dedidit, unde haec de eo dicit maior frater: Asot. 1296.

Adhaeret is spurcissimis meretriculis.

Quae tamen aliis minime videntur repudiandae; audiamus quomodo eas appellet Comasta, iunioris heri in omnibus quae ad amores pertinent fidelis minister. Asot. 283.

Com. Face
Ut advolent duae *animulae*, et *formosulae*
Et *molliculae* et amabiles, Planesium et
Margaenium, atque huius farinae pauculi
Bibesii voluptuarii.

Et Colax parasitus As. 590.

O *lepusculos* tibi
Pulposulos modo praendidi, Planesium,
Margaenium, feras et id genus alias.

Et ipse Asotus As. 1331.

Ubi *turturellas* has meas *comptulas* composuero.

Nec miramur eas ab adulescentulo tantopere amari, quae haec ei polliceantur Asot. 1358.

Tu nos quidem
Materculas, *sororculas*, *uxorculas*, *amiculas*
Habebis usque, tum domi, tum foris et intra cubiculum.

Neque contemnit eas Laemargus Laz. 1378.

Certum est Cynopen hunc domum ablegare, ne
Si quippiam cum amiculis sive lepidis
Meretriculis prodegero, ipse coniugi
Rem deferat.

Bene novit eas Macropedius ipse, ut ostendit Asot. 1418.

Ars, cura, mos, industria
Est omnibus *meretriculis*
Tantisper adulescentulum
Lactare dum pellexerint.

Sed postea ab amicis gravibus admonitus non iam se tales feminas quamvis lepidas et amabiles in scaenam inducturum esse pollicetur Ios. 40.

Valete quotquot adestis huic spectaculo et
Pro comicis *meretricularum* amoribus
Suscipite Ioseph castitatis vindicem.

Etiam vestimenta et ornamenta illarum „Venerum" venustarum deminutivis appellantur (Asot. 1344 *crepidulae* 1345 *vittulae*, 1348 *scriniola*) nec non corporis illecebrae quibus iuvenes leves et incauti capiuntur.

Asot. 1426. Hinc oscula et *pectuscula*
Et delicatas *mammulas*
Tibi venditant, donec tibi
Iecur sagitta transigant.

5 *Materculam* appellant matrem pueri blandientes et ii qui cum pueris loquuntur.

Reb. 484. Centum aureis refarsit hanc *matercula*.

Adam 1251. Sed dic puer, num tua tibi
Matercula et fratri tuo hinc alia coquit cibaria?

1255 Revertere ad *materculam*. cf. Petr. 489, 498, 563, 588, 743. Ies. Schol. passim.

6 *Anicula* non sine irrisione dicitur Bass. 183.

Ut *anicula* haec suffarcinata est.

In Iesu scholastico cum modestia et tristitia quadam saepe se ita nominat Elizabeth.

7 *Iuvenculam* se ipsam vocat Aegla Ios. 471. Maria hoc nomine appellatur I. S. 1045.

8 *Ancillula*. Ios. 240.

Inertes et rudes *ancillulae*.

Hyp. 733. Servuli aut *ancillulae*, Pendent herorum ex nutibus.

Amiculus, amicula.

Unum est vocabulum deminutivum quod saepissime adhibet Macropedius, id est *amiculus*, in quo exitus deminutivus aliquoties vim suam amisisse videtur, aliis locis non sine aliqua propria significatione additur. Levi cum irrisione dicitur Asot. 469.

Sunt iuniori gnato herili *amiculi* sybaritici.

Hec. 374. Quo abiit herus? Ad *amiculum*, animi gratia,
Ut poculis vel lusibus iocisve tempus exigat.

Caritatem indicat Asot. 1553.

Diu exspectatum Asotum *amiculum*
Reducem mihi monstrastis.

Non miramur Laemargum hilarem sibique placentem exclamare (Laz. 1086).

Ut mea, *amiculi*, Res familiaris complacet?

Sed minus aptum videtur deminutivum ubi mortis timore perterritus vociferatur (1122).

O *amiculi*, mors imminet, mors imminet.

Naturae congruum est pueros inter se hoc vocabulo uti (Petr. saepius) sed inter homines adultos puerile et ineptum videatur praesertim saepe in Hecasto, nisi statuamus hoc vocabulum vim deminutivam prorsus amisisse, quod etiam intelligitur ex locis qualis est hic: Hec. 744.

Mors prior amicum separat
Ab *amiculis* mortalibus.

Et ex Psalmo Davidis. Hyp. 487:

Elongasti et *amiculos*
Atque omnes mihi proximos.

Neque obliviscendum est deminutiva propter syllabarum quantitatem iambicis et glyconeis metris esse accomodatissima. Contra *amicula* in exitu significationem plerumque servavit,

sed tamen hoc quoque vocabulum nonnunquam plane idem est atque amica.

Asot. 855 valete *amiculae* 1157 adibo *amiculas* meas, Planesium et Margaenium (sic saepe in Asoto et in Petrisco de meretricibus) Hec. 951 Blandas *amiculas* meas Andr. 1157 Accedere putat suam *amiculam*.

Ut *amiculus* sic alia quoque deminutiva vim suam amiserunt et plane idem significant atque ea verba a quibus derivata sunt. Sic ut apud Plautum *servolus* (Asot. saepius) aliaque nomina quae servitutem significant ut *vernula*, *conservulus*; *nummulus*, *iuvenculus*, *ocellus*. Adam 1941 Simeon senex de infante Iesu loquens:

> Quod ubi his *ocellis* viderim, atque his brachiis
> Portaverim, atque ei osculum libaverim
> Securus in pace cupiam dimittier.

Ac fortasse in iis quoque quos supra citavimus locis compluria deminutiva lectori videantur tantummodo metri causa aut ex temporum consuetudine adhibita propriam deminutivorum significationem non amplius servasse.

Adiectiva Deminutiva.

Iam in iis quae praecedunt adiectiva deminutiva inveniuntur satis multa; quae de his vocabulis dicenda restant paucis absolvemus. Inter haec adiectiva multa sunt quae modum vel numerum significant ut *pauculi*, *paucula*, *paululum*, *parvulus*, *plusculi*, *plusculam*, *plusculum*, *plusculo* Ad. 311, *aliquantulum aliquantulo* Hyp. 919, *quantulumcunque* Reb. praef. *minutulum* Al. 205, *minutula* Petr. 252, *tantillus* Petr. 388, *minusculus* Petr. 613, *maiusculus* Bass. 234. Eodem modo a comparativis derivata sunt *graviusculus* Ad. 15, *meliusculus* Laz. 1332, Hec. 909, *meliuscule* Hyp. 1021, *molliuscule* Ios. 415, *pinguiusculus* Al. 104, 206 Andr. 188.

Aliquoties invenitur *blandulus*.

Reb. 199 verbis piis et *blandulis* (cf. Andr. 506, Laz. 108) Asot. 1703 scortis *blandulis* Hyp. 44 *blandulo* solatio Alut. 279 vina *blandula* Laz. 1031, 1134 poculum *blandulum*.

Reliqua adiect. dem. quae apud Macr. leguntur sunt haec: *argutulus* Reb. 689, *audaculus* Petr. 85, *comptulus* Asot. 1331, Reb. 499, *dulciculus* Hec. 1928, *formosulus* Reb. 499, 551 *fuscula* Reb. 559, *ineptulus* Al. 29, Andr. 262, *languidulus* Hec. 1136 *lepidulus* Andr. 1176, *leviculus* Petr. 613, *loquaculus* Hec. 1342 *misellus* saepius, *molliculus* Reb. 113, Asot. 283, *nigella* Reb. 557, *obesulus* Andr. 103, *primulum* aliquoties; *tenellus* Al. 146, Andr. 580.

Blanditiae.

Inter deminutiva, ut patet ex iis quae laudavimus locis multae blanditiae inveniuntur quare eodem capite haec tractanda duximus; alia huius generis sunt haec:

Asot. 1231. Iam eo nave adepta ad *turtures*
Meas, meos *passerculos*, mea *ubera*.

Et in colloquio Asot. 1236 sqq.

PLAN. *Animule* Asote, quin venis?
Nulla absque te domi voluptas est, neque
Sine te aliquod est solacium. MARG. Quid, Asote, id est?
Te *ocelle* iamdudum moramur, omnia
Quae ad Venerem et ad gulam attinent, parata sunt.
ASOT. Adeste, deliciae meae, o Planesium
Suavium meum, meumque *corculum*
Margaenium. MARG. Complectere. ASOT. Facio lubens.

Asot. 1343 meae *Veneres* (Laz. 154 *Venus* mea) 1353 mea *voluptas* 1354 quid habes, *anima?* 1361 Asote, *amor* meus, meum *pectusculum* 1364 mea gaudia (cf. Andr. 897 En gaudia mea, Hieronyme Ios. 469 *vita* et *salus* mea unica.

Audiamus Aeglam Iosephum allicientem. Ios. 533:

Te praeter omnis dulcor iste amaror est,
Mellite Ioseph. Tu unus es mihi affatim
Solatii dulcedinisque satietas.
Eia ergo, melculum meum, fruere meis
Complexibus, cum uberibusque atque amoribus
Mecum tibi omnia mea sint communia.

Ios. 637. Nunc age, mi Ioseph, unicum solatium
Meaque voluptas unica.

Non sine irrisione Hec. ad uxorem, Hec. 132:

Ut delicata, ut tenera facta es, mea rosa.

Item de uxore Laemargus 875:

Rosam meam vides morantem, Daemones?

Mirum blanditiarum exemplum est *barba.* Ios. 1776 Aegla ad maritum iratum:

Te per tuam fidem, amica barba, deprecor,
Mihi parce.

Ex his blanditiis multas, ut *animulus*, *corculum*, *melculum*, *ocellus*, *suavium*, *vita*, *voluptas* alia iam apud Plautum inveniri non est quod moneam.

CAPUT XII.

Convicia, exsecrationes, minae.

Bonum comicum, ut amatorem blandum et venustum, ita strenuum et acrem convicatiorem esse oportet. Nec Macropedium in hoc genere vires, verba, varietas deficiunt, ut exempla quae mox allaturi sumus satis superque demonstrabunt.

Ac servorum convicia supra iam tractavimus, inter quae tamen nonnulla sunt quibus et liberi homines inter se utuntur, velut *furcifer* Reb. 279 ubi duo pueri rixantur propter nummulos.

DYSC. Sceleste, furcifer, meum non redderes? Sic discito,
Sic discito, sic discito, sic discito, sic discito
Per dolum aliena rapere. CLOP. Do, remitte me! DYSC.
Cedo statim!
CLOP. Meretricie, scelerate, perfide, accipe tuam rem atque abi!

Reb. 618 Mentire tu Quidem, triverbero, ut dii te omnes superne concrement!

In Lazaro Thrasus servus durus et ferus Lazarum miserum mendicum ab aedibus pellit his verbis:

Laz. 787. THRAS. Quid tu omnium,
Quos fert humus spurcissime, necis pabulum, et
Orci cibus, non hinc abis? non hinc abis?
Non hinc abis? LAZ. Heu me! THRAS. Vel ad corvos, vel in
Baratrum, vel in malam crucem?

Idem servus postea Lazarum morientem conspiciens misericordia tamen tactus exclamat Laz. 1058

Proh Iupiter!
Hic moritur, atque sola inedia moritur! ut
Omnes herum Dei superne concrement,
Qui non sinit vel miculam in rerum omnium
Affluentia pauperibus elargirier.

Est hic optimus huius fabulae locus; neque enim facile poeta Laemargi immanem duritiam et crudelitatem acrius perstringere poterat quam hac servi, herilis saevitiae instrumenti, exsecratione.

Idem Thrasus a conservo Cynopa hoc audit: (Laz. 1302)

Quid, rauce rabula, inebriatus clamitas?

Nec sibi temperant mendici Laemargum exsecrantes: Laz. 544

Ut eum suae pingues ofellae electilesque stragulent
Ventremve crassum lauta fercula dissecent!

Ipse Laemargus per iocum de fratre sero ad epulas veniente:

Laz. 931. Ut eum dii morantem fame necent!

'Stoliditatem saepius unus ex diabolis alteri exprobrans utitur maledictis his:

Reb. 214. Hebes, brute, stolide! 803 Barde, stupide, morio! 893 Demens, rudis, brutissime!

Quam copiosam maledicendi materiem ludus et ludimagistri bonis discipulis atque interdum eorum parentibus praebeant patet ex multis locis Petrisci (221, 316, 349, 352, 370) cf.

etiam Reb. 397 ubi mater ira incensa in scholae rectorem sic invehitur:

Prodi, nefande sophista! Prodi, sordide
Philosophe, Aristippe impudens, monstrum ferum!
His unguibus malas tuas convulsero!

Et post pauca 404.

Nescis, sceleste, trifurcifer, fera belua?

Ipsa schola a discipulis laudatur his verbis: Reb. 326.

Pereatque carnificina nostra haec fulmine,
Ubi nil sonat nisi flagra, caedes, lacrimae.
Valeat Aristippus senex, trux, carnifex!
486. Valeat philosophia, valeant scholastici
Ludi, antron hoc valeat, ubi non nisi verbera
Et eiulatus perpetim ingens personant!

Reb. 324 schola vocatur *ergastulum.*

Nepos convicium pueri inter se usurpant saepius in Rebellibus; *nebulo* invenitur Bass. 679, 986.

Longe tamen maledicendi copia et peritia viri superantur a mulieribus. Audiamus Andriscam, feminam illam fortem et virilem, maritum conviciis persequentem:

Andr. 357. Ignave, tun' me verberes? latum tibi
Culmum (quod aiunt) neutiquam cessura sum,
Quadrate, sordide, lutulente agrestio.

et 363. Fuge hinc, lues
Umbratilisque larva, fuge malam in crucem.

Et Porna, adultera illa, in maritum ingerit haec: Andr. 937.

PORN. Tu me, spurie, stupri argues?
BYRS. Et arguo, et castigo, castigaveroque
Acerbius, dum fors dabit. PORN. Te obstringilent
Cacodaemones, pus, fex, putredo, carnufex!

Pulcherrimis tamen conviciis eaedem honestae matronae in se ipsas utuntur: Andr. 460 sqq.

ANDR. Quid hic tibi negocii, meretricula?
PORN. Id quod tibi, venter sceleste, id quod tibi.
Tun' hanc tabernam propriam tibi vendicas?

ANDR. Sile cloaca, prostiblumque sacrificûm!
Abi domum, morare [1]) quem misere peris
Sacrificulum! PORN. Quid tibi (malum) curatio est
Rerum mearum, pessima expultrix viri,
Rerum tuarum prodiga? ANDR. Opprime os, procax
Scortum, subactum millies. Si edo aut bibo
Aut abligurio meum patrimonium,
Non id tua interest; sile, atque abi domum,
Istosque colaphos dulci amasio refer!
PORN. Caedasne gratis? ANDR. Vapula, improba, vapula!
PORN. Ventrem tuum per Aphroditen fodero
Si denuo attingas! ANDR. Patrem per Liberum,
Te Cypridi pugno immolo, nisi abieris;
Cape riculam, ac te proripe! PORN. Hoc opprobrium
Rapiet vel ad corvos vel in laqueum tuum
Ventrem gulamve, venefica! ANDR. Exturbavi eam.

Omnium tamen facile principes sunt duae illae, quibus Asotus totum se dedidit, turturellae, Planesium et Margaenium; audi eas invidia incensas maledictis certantes:

Asot. 825. Sile, olida sus!
MARG. Quin tu sile, cloaca susque morbida,
Cui praeter hanc frontem femur, latus, inguina
Et corporis alia membra purulenta sunt,
Infecta morbo qui solet celarier.
PLAN. Tun' audeas me morbidam? MARG. Quin audeam?
Et menstruosam! PLAN. Mene dices morbidam,
Me menstruosam? En, morbida haec veneficam
Te his verberat pugnis et ungue vellicat.
MARG. Id neutiquam impune egeris: Tu foedior
Quovis cadavere, atque coeno obscoenior,
Tu caederes? Sic disce pugnis caedere,
Sic disce pugnis caedere, sic vellica!

Paulo post tamen optimae sunt amicae, nec quidquam irae in earum animis residet; scilicet ad spectatorum delectationem tantum talia inseruntur, quorum ex animo loquitur Cometa servus, qui huic rixae interest Asot. 838:

---

[1]) Morari = opperiri vide ad Petr. 850.

Non est quod usquam gentium intuerier
Malim; calyptra, pepla, vittae devolant,
Passos capillos manipulatim vellicant;
Hic ludus est plane meretricius!

Subridemus autem in prologo huius fabulae legentes Asot. 72:

Nam castitati non oberit, ut fabulae,
Versus quae habent spurcos et immemorabiles.

Nec miramur gravem aliquem et severum ludimagistrum indignatum frontem contraxisse cum post tales versus in Alutae praefatione legeret: „Ceterum quidquid editur pueris editur".

CAPUT XIII.

De Proverbiis.

Proverbia et in omnibus omnium poetarum fabulis inveniuntur nec apud Macropedium desunt. Parce tamen ac moderate et ex vetere praecepto non ut cibis sed ut condimentis iis utitur. Erasmi adagia, quorum editio princeps anno d. 1500 prodiit in lucem eum cognitum habuisse et per se verisimile est et ex nonnullis locis apparere videtur. Velut statim in initio Asoti tres invenimus locutiones proverbiales rariores quae apud Erasmum laudantur et explicantur. Prologus enim incipit versibus hisce:

Non futiles nugas ut *hortos Tantali*,
Siculasve gerras aut *Hibernas noenias*,
Non stupra virginum aut dolos lenonios,
Quibus poetarum scatent comoediae,
Inertibus vel impudicis nectimus cet.

Ex iis autem quae adhibet proverbiis nonnulla apud veteres comicos leguntur ut Asot. 441:

Inter *sacrum saxumque sto*, *lupum auribus teneo* miser.
cf. Capt. 615 Phorm. 507.
Asot. 519 nec *lac similius lactis* est nec *aqua est aquae*.
(Men. 1089)

Bass. 397. *Sunt in vado* omnia mea (Andr. 845 Aul. 803)
Ios. 659. Et tu (quod aiunt) *cantilenam eandem* adhuc mihi *occinis* (Phorm. 495)
Cf. 1153. *idem* quod cecinit olim *canticum mihi occinit.*
Andr. 112. Cavendum enim ne verberando clericum
Vespasque crabronesque contra te exites.
(Cf. Amph. 707).
Laz. 551. *aquam a punice postulare* (Persa 41).
„ 68. Haud scio quos quaerat *in scirpo nodos.*
Ios. 1689. *scirpus iste nodum* habet.
(Men. 247 *in scirpo nodum quaeris*).
Laz. 626. *lolio victitare* (Mil. 321).

Nonnunquam notas locutiones paululum mutat vel amplificat ut Asot. 476:

In portu silent merces meae Cf. Ter. Andr. 480 Ego in portu navigo.
Asot. 499.

Albis quadrigis evehor, post brumam adest
Vernus tepor, post hymbrem adest serenitas.
Cf. Asin. 278.
Nam si huic sese occasioni tempus subterduxerit
Nunquam edepol *quadrigis albis* indipiscet postea.

Laz. 707. Quis tu peregrine? aut tibi quae patria? aut
Ad *sacculum* quod *adegit* infortunium?

Cogitasse videtur de Capt 92 *ire* extra portam Trigeminam *ad saccum* licet.

Hec. 219. Sine me meo periculo hanc *cudere fabam;* aliter Eun. 381. At enim istaec *in me cudetur faba.*

Alia proverbia apud paroemiographos circumferuntur ut Asot. 783:

Hic *caecior talpa* atque *pilo obtusior*,
Ut *atrum ex albo* vix queat discernere.

Al. 153 facillime *Album esse nigrum* huic, reor, persuaserit. Reb. 497 *absque Venere* semper *frigidum solacium* 929 *sero sapimus* omnes Petr. 325. Vetus est paroemia: *si patrem non audias mox vitricum auditurus es* 969 *dum ferrum calet cudendum erit* Andr. 537 *Suam quoque bilem columbae habent.* Asot. 1482 *Rotat sic omnia fatum* Bass. 154 *Iovis cerebrum* dixeris 368 *Veneris epulum* 557 *nodo malo cuneus malus quaerendus est* 589 *temere tonanti oppedere* 867 *Quid misera ante tempus es?* (cf. I. S. 385 quid ante tempus es miser?) 400 *Cernes* (quod aiunt) *avolasse passeres.* 85 *Quid absque Bito Bacchius?* Laz. 80 *tenax requirit prodigum* 187 *noctua volat* 505 et *sustinere et abstinere* servos decet 551. Praestaret *aliam* (ut inquiunt)

quercum excutere quam in hoc loco *Captare ventos retibus, poscereve aquas a pumice.* 638 *Dum extis pluit,* non recipienda lancibus? 642 *Caecutiens dux caeco adest.*

Hec. 242 *Iners inertis* non eget. 320 Quid *discus absque edulio? βοῦς λοκρικός.* Hyp. 645 *Ulnis* (quod aiunt) *obviis* amplectere. 836 *Quod oderis tibi ab altero Fieri, alteri ne feceris.*

Epistol. 29 Quae ne *Momus* quidem reprehendere queat; 42 sine quibus haud secus ac *porcus* quidam *Acarnanius* nulli rei magis homo quam ventri studet.

Ex sacra scriptura sumpta sunt:

Al. 279 *limus pecunia* Petr. 448 *abit in calamitosum illusio* Bass. 621 merito *incidet* quam fecit *foveam* Laz. 347 *Quem dominus diligit castigat* 646 *Cave ab iis quos Iupiter signaverit* Hec. 343 *Os quod mentitur occidit animam.*

Inter proverbia quae adhibet Macropedius nonnulla sunt quae apud paroemiographos non inveni; ex quibus pauca fortasse ipse finxit, namque ut est apud Erasmum: „Comoedia mutuo quodam commercio et usurpat pleraque iactata vulgo et gignit traditque vulgo iactanda." Talia autem sunt haec:

Asot. 15. Ne aegre feratis quod *levem falcem tulit*
Sementem in evangelicam.

„ 189. Euge, abiit hinc delirus ad villam senex,
Cui tantum inest cerebri cutis quantum uvidae.

„ 913. *Arietem validum intulit* castitati.

„ 1016. In te ne quidem *catellus* unquam *mutiet.*
Cf. Bass. 321 ne *canis* quidem in te *mutiet.*

„ 494. *Nunc carbasa Euro dabo* atque frena laxabo
Genio (cf. 425).

„ 1444. Verum est profecto quod ferunt: scholasticus,
Si ludus est bonus, flagella scholaria
Minime aestimat.

Aluta 169. Tam nostra praeda nostra quam *lux solis* est.

Petr. 97. *Comperta bis volunt patrata septies,*
Partesque edens tandem canis corium vorat.

Andr. 613. Hic dabit huic ludo *impares tibias.*

Adam. 331. *Spes quae diu differtur affligit animum.*

Nonnulla ex vernacula lingua sumpta sunt.

Al. 267. Prudentis est nostratium proverbio
Ventrem prius purgare quam aliud ingerat.

Andr. 639. *Pro bracha certandum* erit 1068. *Pro subligari* cuium erit certandum erit 1007 *Pro foeminalibus* esto proelium 622 *post rete piscaberis* 651 *In olla* (ut inquiunt) *canis*. Bass. 762 *canis in ollam* repserit 900 *manu inani regredi* Hyp. 932 *mors in olla.*

Suspicor haec quoque patriae linguae deberi:

Asot. 746 Tandem *suum* meo opere *tergent podicem* Petr. 390 Et *felium catuli* subinde *lebetibus Carnem extrahunt* Andr. 334.

Totum larem, totum penum voras, quasi
E populis aes colligam sylvestribus.

Andr. 407. Quod *anserina felibus*
Pariantur ova facillimum persuasero.

Bass. 585. Proverbium vetus est: *Tonantem fulmine*
Nunquam latrinas aut patibula evertere.

Praeterea comparationes quarum magnus numerus apud Erasmum in Adagiorum Prolegomenis invenitur apud Macropedium notavi has: Asot. 475 *ignavior cuculo* es Laz. 629 *Tiresia caecior*. Bass. 183. *Iridos in morem* onusta flectitur. Hyp. 902. *Iro pauperior*. 903 *Infortunio infoelicior*.

CAPUT XIV.

De verbis frequentativis.

Inter ea verborum genera quae ex vitae cotidianae sermone comoedia petivit numeranda sunt verba frequentativa, quae etiam apud Macropedium multa inveniuntur. Ex his pleraque popria frequentativa vel intensiva significatione amissa idem significant atque verba primitiva a quibus derivata sunt. Notavi autem apud nostrum frequentativa haec:

actare * [1]) Hec. 1579 Quid actas hic, cruenta bestia?

actitare — vis intensiva apparet Ios. 211 Est actitanda artis meae peritia. Reliquis locis idem fere est atque *agere*. Asot. 664 visam quid actitet domi 1582 perinde mihi actitandum censeo Andr. 37 quid tibi

[1]) Asterisco notavi ea verba, quae apud veteres non inveniri videntur.

Vitandum erit vel actitandum clarius Lumine videbis. Bass. 803 adest Creoborus, nescio quid actitans Laz. 575 Mecum profecto bene actitatum plauderem.

appellitare = appellare solere Ios. 81.

Quam veluti coniugem subinde appellitas
Hanc veluti non maritus esses negligis.

compellitare * Hec. 366 Henecastum et Unumquemlibet compellitant; videtur metri causa positum pro *appellitare.*

recantitare * frequentativum Asot 250 Et more coccygis eadem recantitas.

cantillitare * frequentativum et deminutivum iocose dictum de pueris vapulantibus. Reb. 299 Audisne qui cantillitant?

captare = capere Petr. 317 Captanda consilia altera (Cf. Plaut. Asin. 358 Quid nunc consili *captandum* censes?)

clamitare — idem quod apud veteres, magna voce et crebro clamare. Asot. 687 (de cornice dictum) clamitans minaciter Al. 454 Obibat clamitans Iactans manus, iactans caput. In interrogatione Petr. 1127 quid clamitas? Bass. 707 quid est quod clamitas? 784 ecquid clamitas? Laz. 1070.

inclamitare p [1]) — Asot. 789 inclamitant Divos = Deorum opem implorant. Alio sensu Plaut. Epid. 711 Etiam inclamitor quasi servos?

reclamitare — Asot. 1415 Tametsi pater reclamitat; = revocare Reb. 652 Cavesis reclamites! – Reclamitemme vos, nebulones furesque? Andr. 1178 Tusus viro trususque non reclamitat.

inceptare p [1]) — Andr. 1076 mi vir quid inceptas loqui?

occeptare p [1]) — Hyp. 133 audiamus quid rei occeptet loqui.

coenitare = coenare Petr. 1094 quod alia in aedibus Prius ordinanda sint quam coenites.

dictitare = dicere solere Bass. 760

Nimis moratus sum hactenus post aggerem
Ventrem levando, rustici quod crassius
Merdando seu cacando dictitant.

Hec. 1356 anne tu quoque Credis quod alii scriptitant et dictitant?

iactitare semper = iactare, praedicare, gloriari Bass. 548 sua iactitant munera 611 hic gabulum adire iactitat. 842 nuces te pro amicis condidisse iactitas Laz. 844. Ne quando praevaluisse se Contra me iniquus iactitet. Hec. 1801 qui magna de se iactitant.

obiectare = exponere Petr. 852 uxoris infelix caput verberibus obiectabo. Laz. 16 = obiicere Fortassis obiectabit illi quispiam, quod audeat sacerrimam rem tractare comice.

---

[1]) p Hoc signo Plautina notantur.

*immersitare** = immergere sensu improbante Asot. 487 Omni luxui se immersitat Al. 409 Ut se sues spurcissimae Caeno lutoque immersitant.

lactare Asot 195 lactare herilem filium 1421 adulescentulum lactare 1537 Lactandus alius qui tuam ingluviem expleat.

lectitare = legere Bass. 99 pro lectitandis vesperis.

*lusitare*p — Asot. 579. An avis eiusmodi tibi videor, Impure, quicum lusites? Ad. 1468 Puer perinde cum leonibus atque cum Agnis subinde lusitat. Hec. 306 Nam aut garriunt aut lusitant.

pensitare = pendere Asot. 1448 Flagella nihili pensitat; = reputare 124 Plane id vel ex me ipso ad unguem pensito Adam 1876 Patrumque gemitus pensito et suspiria; = pendere, solvere Ios. 1271 tributa pensitare.

*potitare*p Asot. 1707 scortando, edendo et potitando.

pransitare = prandere Andr. 149 haud hoc magis quod pransitet Parabitur.

prensare = venari, capere Hec. 731 Talis mihi intus aut foris prensandus est.

pulsare — ut apud veteres ostium pulsare Asot. 707, 731 et aliis locis; ab hoc autum verbo a Macr. formatur:

*pulsitare** — eodem sensu. Asot. 209 ut ropalo fores non pulsitet Al. 269, Hec. 1755, Andr. 282. De campana pulsanda Bass. 100 cymbala pulsitare, 203, 674.

*repulsitare**. Asot. 718 clamo reclamo, pulsito repulsito.

propulsare = propellere. Asot. 584 denuo propulsaturus.

quaeritare = quaerere ut apud Plautum. Asot. 927 moratur hunc pater, familia quaeritat Asot. 1236, Reb. 116, 732 Petr. 1129 Andr. 1179 Hec. 192, 512. Rogandi sensu apud M. non invenitur.

reptare — Laz. 232 Quis reptat huc? 559 Quo reptat hic? eodem sensu

*reptitare** Laz. 565 Quo tu hulcerose reptitas?

rogitare Ad. 1754 = rogare.

scriptitare = scribere solere Andr. 44 In hoc poetae scriptitant. = scribere Bass. 573 qui vel legunt, vel scriptitant, Laz. 38.

Illos tamen non arguit qui scriptitant,
Si quo legantur, non agantur scriptitant.

Hec. 1213. Nam beati scriptitantur
In Deo qui obdormiunt.

*spectitare** Reb. 574 Sed ecce spectitat caupo foras. Bass. 264 dispicio num quis me spectitet. 450 Parasitus eminus cur spectitat?

territare — ut apud veteres. Petr. 582 Ad. 392 Hec. 167 hi nos subinde territant 995, 1757.

*tractitare** = tractare Al. 66 me tractitant Al. 415 Ut nil tractitent nisi turpia Andr. 14 Alii aliud exercitium tractitant Ios. Ep. ded. tu

fabulam dispice et tuo pro iudicio tractita. Ios. 376 Cum ancillulis quid tractitet exaudiam.

*pertractitare** — metri causa pro tractitare Bass 313 alia pertractitans.

victitare[p] — ut apud veteres comicos cum adverbio. As. 775 victitare splendide 972 tu delicate victitas Laz. arg. 3 delicate victitat. Aut cum ablativo. As. 1511 panibus abundant atque lacte victitant; (nisi tamen legendum est *laute*) 1686 pane et unda victitem Reb. 29 etsi cibario vix pane victitent Andr. 759 relaturus cibum quo victitet. Bass. 160 nihil est domi quo victites? Laz. 56 lolio victitare. = coenare Bass. 223 Quaerendus est tamen homo quicum victitem.

Frequentativa tamen saepe, ut multa quae supra tractavimus, qualia sunt deminutiva, futura exacta, imperativi in — to exeuntes atque etiam superlativi, metri causa adhiberi videntur.

CAPUT XV.

De declinatione, genere, numero, orthographia.

Nonnulla sunt in declinatione, genere, numero in quibus Macropedius ab optimorum scriptorum usu discedit. Talia sunt haec:

Acc. vesper*em*. Asot. 1164 Al. 95, Andr. 138 cet.

Voc. Philaeti*e* As. 1165 *Dee* Ios. 1415 *mee* Ad. 1625.

pluria saepissime. Abl. comparativorum in — *i* prior*i*, superior*i*, minor*i* cet.

Ios. epist. ded. *veteri*.

hoc nuntium As. 1772. *Vulgus* masc. Reb. 40.

> Qui nobiles estis et ab alto ignobilem
> Despicitis hunc vulgum.

(Sisenna et Varro ap. Nonium pg. 230, 27).

Proles plur. As. 985 id Iamdudum experior meis in *prolibus*. Reb. 86 *Prolium* curatio 190 Vides, praeceptor, has *proles*. 406 Dic age, quid actum *prolibus*? Andr. 338 Quis exitus, nisi *prolibus* mendicitas.

Verber — sing. in Abl. tantum. Reb. 178.

DYSC. Ut absque *verbere* doceamur expetunt.
CLOP. Sine *verbere*? DYSC. Ita. CLOP. Sine *verbere*? DYSC. Absque *verbere*.
CLOP. Ohe, Deum immortalem, ut est stultissima
Materna mens, nobis tamen ut accomoda!

Andr. 354 Coactam *verbere*.

In adiectivis substantive utendis liberior est.

Hyp. 305.

Sique *utilis* vel commodi rationem habes,
Multo omnium utilissima est tolerantia.

As. 1438 aedes huius *divitis* 1467 Ecce oberrat rustico sago *opertus* Andr. 1197 cunctis remotis *tristibus*.

Reliquum est ut de orthographia pauca dicenda videantur. In multis scripturis Macr. discedit a consuetudine quam hodie sequi solemus, et omnino in ea re magna est in eius scriptis varietas et inconstantia. Accedit quod illis temporibus non scriptorum sed typographorum saepe arbitrio scriptura constituebatur; nam suam quisque typographus sequebatur orthographiam. Quae quam incerta et varia fuerit patet imprimis ex iis vocabulis, quae per *e*, *ae*, *oe* scribuntur. Has diphthongos medio aevo scribi solitas non fuisse satis notum est. Post literas renatas viri docti hoc vitium corrigere conati sunt, scribebanturque dissertationes *de arte Diphthongandi*. Macropedius quoque hanc rem tractavit in opusculo quod de Prosoedia composuit ubi leguntur haec: „Cum sciam complures ignorare quae voces tum latinae tum graecae latinitate donatae vel per *ae* vel per *oe* scribenda sint, dabo operam (quamquam non ad hanc grammatices partem, nempe prosoediam, sed ad orthographiam pertinet) ut quae maxime in usu loquentium, et tum prosa tum carmine scribentium sunt voces, certo quodam ordine per Tabulas digerantur. Tu, puer, satage non modo in carmine, sed etiam in prosa scribenda eas observare. Neque enim minus arguendus es si pro diphthongo monophtongon scribas quam si quod duplici consonante scribendum simplici pingas, aut aspirandae vocali non aspires. Nam sive pro h*ae*reo scribas h*e*reo et pro f*oe*lix f*e*lix neglecta diphthongo, sive pro *sc*io *s*io, aut pro *hu*lcus *u*lcus neglecta consonante vel aspiratione, pari ratione barbarus iudicaberis".

Deinde sequuntur Regulae et Tabulae. Regula secunda sic habet: Genetivus et dativus singularis, item nominativus et vocativus pluralis primae declinationis in *ae* desinunt, ut huius et huic musae et hae musae. (Saepe tamen etiam in Macropedii

scriptis contra hanc legem peccatur. In prima editione Asoti leguntur haec:

Avis fere persimilis est
Iuventa lubrica et vaga.

Ibi Spenglerus admonens Macropedium Captivorum locum [1]) imitari haec adiungit: „Das *ferae* ist bei Macr. vielleicht aus Missverständniss zu *fere* geworden!" Sed in aliis editionibus fer*ae* legitur, neque error huiusmodi rerum causa est, sed scriptorum et maxime typographorum negligentia).

Tertia Regula „Non minus a *prae* inchoata latina dictio quam a *prae* composita per *ae* scribenda est ut *prae*da, *prae*lium, *prae*ter, *prae*cipio. Excipitur *pre*cox cum suis, *pre*cium cum suis, premo et *pre*ciae".

Deinde dipthongus *ae* ante omnes literas in primis et mediis syllabis tractatur „Per *ae* scribenda sunt *Plae*bs, *fae*cundus, *ae*do verbum compositum ut volunt, *cae*lum secundum quosdam a celo, as, *cae*lsus, dia*dae*ma, *vae*neo et vendo a *vae*num, *Gae*orgius, *gae*ometriia cum aliis si a γαῖα, *Cae*ra cum suis."

Eodem modo tractatur diphthongus *oe* ante omnes literas „Per *oe* scribenda sunt *foe*lix cum suis, *foe*mina, *poe*ne adverbium, *coe*pi defectivum non *coe*pi a capio, *loe*tum pro morte."

In Macrop. fabulis has invenimus scripturas:

ae pro *e*: Aedere, haerus, vaenari, vaenaticus, humaeris, saemini (in Ies. Schol. tamen ubique *e*dere).

e pro *ae*: pretexere, preteritum, querere, queritare, questio, queso, desevire, vite, schole, que = quae (Adam 1311) preco, pape, pene, leserit, prestat. (I. S. 958 quaestio).

oe: foelix, foelicitas, foemina Laz. 1386 coeteros.

y pro *i*: consyderare, desyderare, lachryma, lachrymare, ocyus, ocyssime, hymber, inclytus, stypes.

per *h* scribuntur: isthic, charus, charitas, hulcus, author, authoritas, schola, schema, scola, scema, et sic omnia haec etiam sine *h* inveniuntur.

ph. invenimus in phas, prophanus, phanaticus, nephanda; tamen etiam nefanda cet.

c vel *t* habent: spacium, ocium, sotius, nuncius, sodalicium.

a pro *e*: refarcio, impartio.

---

[1]) Capt. 116 Liber captivus *avis ferae* consimilis est.

CAPUT XVI.

De Macropedii Epistolica.

De Epistolica pauca in prioribus observavimus, nonnulla in adnotationibus ad Petriscum tractaturi sumus, reliqua quae seorsim tractare satius visum est paucis absolvemus. In hoc opusculo Macropedii sermo non multum differre videtur ab aliorum eius aetatis virorum doctorum genere dicendi, quod quamquam plerumque aliquanto purius et emendatius erat quam vulgaris et quotidiani sermonis consuetudo, non tamen in omnibus cum veteribus scriptoribus congruebat, a quibus Macropedius quoque in nonnullis discedit. Velut satis multa vocabula habet posterioris et postremae Latinitatis ut adiectiva in — *ilis* desinentia qualia sunt: *intelligibilis*, *interpretabilis*, *investigabilis*, *immarcescibilis*, *ineffabilis*, *irremediabilis*, *irrefutabilis*, *irreprehensibilis*, *possibilis*, *impossibilis*, *plausibilior*. Alia sunt haec: *coetaneus*, *confusaneus*, *manuareus*, *contentiosus*, *uniformis*, *desperabundus*, *lapsabundus*, *sitibundus*, *scholaris*, *aequivalentibus; letalis* hostis, *gratitudo*, *nimietas*, *monstrositas*, *montositas*, *numerositas*, philosophiam *apprehendere* (= discere), *obviare*, *picturare*, oro *paternitatem* tuam, *trivialiter*, *amodo*.

Poetica fere sunt: *ceu*, *conflictus* = certamen, *satus* = natus, *praevius*, *primaevus*, divinas laudes *personare*. Rariora habet quaedam, ex quibus nonnulla fortasse ipse finxit, velut: *carnificina* crudelitas, *districtio* = severitas (districtus iudex Tac.), *diiudicium*, *vituperium*, lapides *sculptiles* (sculpendo idonei) *debite* = ut debet, *affectuosa* deprecatio, *fixius* considerare, *proximior*, *ganonia*, *refocillatio* cet.

Sacrae Scripturae linguam referunt: Christus suus *secundum carnem* filius, *transitoriis inhiare*, *in Christo vivere*, *caro vivificatur*, *seminatur in corruptione*, alia. Ex quotidiano sermone sumpta sunt: *blaterare*, *deblaterare*, *blateratio*, vel *modica portio mentis*, *curam habere de* bono nomine, caecum *errare facere*, vulnera *recrudescere fecit* cet.

Graeca notavi haec: *allegoricos*, *allophylus*, *apologia*, *apologeticus*, *catalogus*, *character*, *emphasis*, *mechanicus*, *migma*, *panoplia*, *parochia*, *phrasis*, *scopos*, *tecmerium*, *zea* (quam speltam dicimus) *zelus*. Praeterea compluria graecis literis scripta.

Structurae nonnullae inveniuntur quae ab antiquorum usu discrepant, ex quibus plerasque quae etiam in fabulis usurpantur in prioribus tractavimus, velut *quod* cum coni.

pg. 110. Hic citra controversiam doctus evadet, *quod* foelici ingenio praeditus perpetuo *versetur* in litteris. *Quod* post verba sentiendi cet. Praef. *experiemini* quod, 23 *scire* quod, 39 ut *patet* quod 41 *narravit* quod 66 *credam* quod; 67 *docebo* quod 106 *consideres* quod sit, cet. Indic. in quaest. indirecta: 25 ut scias quantum deco*rat* hominem eruditio, quantum obscu*ret* eum literarum ignorantia exacte considera, et aliis locis.

Quo = ut: 43 *quo* tandem epistulam claudam 76 *quo* te infamia liberaret.

Coniunctionem *siquidem* saepe ita adhibet ut plane idem sit atque *enim*, neque alteram sententiam alteri subordinet, sed in sententia principali locum habeat. Exempla:

23 Reliquae *siquidem* orationis partes prorsus similes sunt; 25 eruditio *siquidem* scripturam tum divinam tum humanam intelligere facit; 37 nemo *siquidem* illum vidit unquam immoderatius bibentem aut improbe lascivientem; 46 Aliud *siquidem* suadere aliud hortari est; 81 est *siquidem* viri boni non magis suorum vitiis quam alienorum connivere, cet.

Ubi acrius et concitatius dicendum est saepe adhibet anaphoram et synonyma cumulare vel gradatione uti solet. Exempla:

43 quum nihil sit quod vel *aeque* honestet, vel *aeque* delectet, vel *aeque* commodet ac bonae litterae et bonarum artium eruditio; 55 *siqua* tibi est aeternae felicitatis expectatio, *siquis* mentis usus, *siqua* honestatis, pietatis et utilitatis ratio cet; 76 *post tuas* rapinas, *post tuas* commessationes, *post tua* stupra, *post tua* adulteria; *Quis* Scytha, *quis* Turca, *quis* alius quispiam Barbarae nationis homo post tantam impietatem *non* vereatur, *non* erubescat, *non* contremiscat? 77 *Quae* tandem naturae lex, *quae* scripta lex, *quae* probata consuetudo, *quae* vel aequi et boni ratio *non* prorsum damnet, *non* detestetur, *non* execretur tantum flagitium? Si lege divina fratri tuo *vetaris* irasci, *vetaris* indignari, *vetaris* afficere probro seu contumelia, an non multo maxime *vetaris* verberare, vulnerare, occidere? 42 Quid iis honestius, quae te a *stupidis, bardis* et (si dici liceat) *brutis* hominibus secernunt? 65 me *evertit*, *perdidit*, *extinxit*; 80 *indignius*, *foedius*, *atrocius*ve; *tolle* fastum, *tolle* arrogantiam, *tolle* superbiam; 85 ut amodo *lurconibus*, *ganeonibus balatronibus*que derelictis nobiscum *sobrie*, *pudice*

et *honeste* converseris; 78 Quum te nobis *non* hominem *sed* beluam, *non* consanguineum *sed* sanguinarium, *sed* sicarium, *sed* parricidam, *sed* carnificem, *sed* latronem exhibueris. 100 Virtutem veram et Christianam *amplectamur*, *exosculemur* et *excolamus*; *quid* enim virtute honestius, *quid* utilius, *quid* iucundius, *quid* denique magis necessarium?

Huc pertinet quod saepe utitur *tum* geminato, de quo vide ad Petr. 523.

PETRISCUS.

GEORGII MACROPEDII

FABULA IUCUNDISSIMA.

AD LECTOREM.

Accipe nunc candide lector Petriscum nostram, ex fabulis illis, quas tibi nuper promisimus. Accipies reliquas, cum mihi per occupationes scholasticas ad recognoscendum eas vacaverit. Vale.

Busciducis apud GERARDUM HATARDUM,
Anno Virginei partus MDXXXVI
Mense Octobri.

Georgius Hadriano a Krimpen, studioso puero Salutem dicit.

Memor patris tui erga me benevolentiae et liberalitatis, (cum aliis in rebus non possim ei dignius gratificari) hoc te volui, mi Hadriane, literario donare munusculo, ne primum in me tanquam in hominem ingratum et beneficii immemorem iure torqueri possit Graecorum senarius:

Οὐδὲν γέροντι χρηστὸν οὐδεπότε δράειν.

Ut et tu in eo subinde versato animum tuum oblectes, et a socordia, nugis ineptisque lusibus deflectas. Consideres quoque praeter eruditionem latinam, quid tu parentibus et praeceptoribus, quid illi rursus tibi debeant, et quod improborum convictus ac sodalitium perinde sint tibi ac pestis vitanda. Accipe itaque grata manu ab amico profectum munusculum, et (quod dici solet):

σοι δῶρον ὃ δῷ τις ἐπαίνει.

Vale.

Argumentum in Petriscum.

Mater Petrisco, quem probum fore vult pater,
Mysandra nimis indulget uxor pervicax.
Post parva furta magnam et insolentiam
Pater hunc magistro accusat, atque caeditur.
Caesus patri furatus aureos quindecim
In ganeo sociatus est nequissimis
Pulsis schola gerronibus, cum quibus et ob
Furta ac dolos coniectus est in vincula.
Porro imminente morte propriis litteris
Matrisque precibus impetrat didascali
Clementiam, qui aliis relictis patibulo hunc
Virga eximit, caesumque cum peculio
Reddit parentibus et strepunt convivia.

DRAMATIS PERSONAE.

PROLOGUS.
GALENUS pater.
PETRISCUS filius.
MYSANDRA mater.
LITURGUS servus.
CABISCUS, STYPISCUS, fures.
PHILOCHRYSIUM, PHILARGYRIUM meretrices.
DIDASCALUS cum discipulis et puero.
GNORYMUS senex.
RUSTICUS.
LORARII duo.
PRAETOR cum satellitibus
SYCASTA delator.

PROLOGUS.

Didascalus noster animadvertens nihil
Gregi suo scholastico opportunius
Vobisque spectatoribus fore gratius
Ludis iocisque scenicis, ex tempore
Pro temporis ratione scripsit ludicra, ut
Habeat iuventus nostra quo se exerceat,
Quo vos quoque hoc iam tempore oblectemini.
Praeterea habebunt, plus satis si liberos
Suos ament, vetentve castigarier
Stultissimae mulierculae, pueri quoque
Suis rebelles usque praeceptoribus
Exempla non vulgaria. Atque illae quidem,
Uti videant suam per indulgentiam
Gliscere suarum prolium licentiam;
Hi vero ut edocti suorum turpibus
Commilitonum casibus nulli velint
Rebellium parere contubernio,
Sed optimis subesse praeceptoribus.
Videbitis (quamquam probo satum patre)
Puerum Petriscum matris indulgentia
Sodalibus adhaerere perditissimis,
Tandemque, post rebellionem, fornices
Et furta ad infandae, probrosae et horridae
Mortis venire periculum. Quod usus est
Tali autor argumento, id in causa fuit,

Quod, cum Rebelles primiter dedisset in
Lucem, fuere qui parum vel candidi
Vel eruditi dicerent, quod fabulam
Tanquam sibi propriam alienam venderet;
Quasi adulterinam ut propriam Terentius
Aedat, quod Andriam ex Menandro transferat.
Fatetur ingenue autor ipse, sibi prius
Visam sub argumento eodem fabulam,
Prosa haud metro scriptam ab Helicone brevissime, et
Arrisit adeo hypothesis, ut decerneret
Tractare eandem honestius seu comicώs,
Longe tamen alio ordine atque scemate.
Nunc eius an sit adulterina, candidus
Ubi contulerit utramque lector iudicet.
Ut igitur obtrectator is habeat sibi,
Quod non queat lacessere, simili quidem
Iam lusit hypothesi, haud eadem, denuo.
Ut id quod illis taedio, vobis siet
Iucunditati maximae. Vos itaque huic
Quotquot theatro adestis oro et obsecro,
Ut prorsus omnibus abdicatis fabulis
Omniquè strepitu ac sibilo, nostri gregis
Aureis benignas praebeatis ludiis,
Ne fructu et utilitate vos privemini,
Nostrique inutilem laborem assumpserint.
Inutilem arbitramur utique dum vacat
Attentione, labore parta oratio.
Si identidem vos nil quoque animadvertitis,
Domum profecto hinc absque fruge redibitis.
Quiescite itaque, adeste cum silentio
Musisque candidis favete candidi;
Post horulam unam aut alteram amittemini.

Actus primus. Scaena prima.

GALENUS. PETRISCUS. LITURGUS.

Recta, Petrisce, ludum adi scholasticum.
Quaedam priusquam abibo huic mandavero,
Atque in macellum postea ablegavero.
PETR. Quonam pater proficisceris? num vesperi
Rediturus? GAL. id refert tua prorsus nihil;
Tu recta adi ludum ultro litterarium,
Didascaloque nuncia me iam adfore,
Ad coenam enim mihi hoc die invitandus est;
Cave deprehendam abesse te cum venero.
PETR. Non deprehendes; unde oritur haec tibi
De me pater suspectio? GAL. pareto, abi.
Liturge, adesdum, ut quae volo et tibi imperem.
LIT. Praesto est Liturgus, here, quid exequi iubes?
GAL. Sta paululum dum abeat. Putasne vera sunt
Quae intus mihi de filio suggesseras?
LIT. Pol aegre et illibenter here gnatum tuum
Insimulo quovis crimine, ut quem post tua
Fors fata habebo herum alterum, veruntamen
Cum deceat esse plus patri quam filio
Servum fidelem, quod ego iam plus septies
Et deprehenderam haud data opera et videram
Celare te non debui. GAL. probus es, et ego
Cum tempus exiget . . . . LIT. morare aliquantulum

Nam praeter ova, butyrumque et caseum
(Quod hactenus silui) et pecuniam extulit.
Gal. Pecuniam? Lit. subinde vidi. Gal. ut potuerit?
Aut si videbas quin vetabas? Lit. scilicet,
Audaculus procaxque per me desinat!
Suum mihi crimen potius impingeret!
Gal. Sed qui potuit (inquam) mihi argentum adimere,
Arctissimis quod obseratur scriniis?
Lit. Nihil scriniis (quod adhuc sciam) hactenus eruit;
Verum latenter introit cellam frequens,
In qua tuis cum debitoribus soles
Subducere ratiunculam, et quod invenit
Audetque surripit. Gal. Quid audio? Lit. Quod est
Res ipsa; vidi aliquando quod duo aut tria
Sestertia illinc clanculo subduxerit.
Ex his quid actum, quid futurum coniice.
Comperta bis volunt patrata septies,
Partesque edens tandem canis corium vorat.
Gal. Probe mones, ipsamque rem quam suggeris,
Dum tacitus expendo intuor verissimam.
Putaveram profecto me in ratione vel
Dati vel accepti frequenter decipi;
Ast imposuit (ut iam liquet) mihi filius.
Lit. Sunt cum quibus solet interim versarier
Nequissimi, verum mihi non cogniti,
Quos ipse dum voles facile venaberis.
Gal. Sat est, cape hos solidos duos, abi ocyus
Recta in macellum, et, ut placuit uxori, eme
Quaeque optima pro vespero convivio.
Ego filium digne priusquam rus eam
Iubebo castigarier; didascalum
Quoque ad epulas vocavero. Lit. Sospes redi.
Gal. Cura omnia approbe exigas. Lit. Curavero.

Actus primus. Scaena secunda.

Galenus. Didascalus. Discipuli quatuor.

Mortalium iocunditas quam turbida,
Quam vana quamque amara sit, praesertim iis,
Qui coniugem rixosam habent et liberos,
Experior in me maxime. Sed eccum adest,
Quem convenire gestio, Didascalus,
Stipatus auditoribus. Did. Uti dixeram,
Alacriter (si occurrerint) prehendite
Nequissimos, ne terreamini impetu
Minisque eorum, neve terga vertite.
Disc. Haud quaquam enim praeceptor, haud quaquam.
Did. Quis hic,
Qui concito nobis gradu fit obvius?
Disc. Galenus est, pater Petrisci; te petit.
Gal. Salve magister erudite. Did. Identidem
Salve, Galene. Gal. Quo hunc gregem extra septa agis?
Did. Belle quidem tu, ut lepidus et facetus es.
Sed quid, Galene, ovicula tua creberrime
Ab ovilibus se subtrahit? Gal. Quid? subtrahit?
Did. Subducit. Gal. Atque id crebrius? Did. Creberrime,
Fultusque semper testimonio tuo
Et syngrapho. Gal. Quo syngrapho? Did. Tuo equidem
Chirographo. Gal. Id est autographon, non syngraphum
Meum, neque intra mensem et unum aut alterum
Chirographum dedi. Scio equidem quid doli
In syngrapho latet, patris dum syngraphus
Autographus fit filio. Did. Utinam et omnibus
Istuc parentibus semel persuadeas.
Eapte sunt profecto pueri industria,
Ut scripta scriptis affigurent proxime,
Nobis quoque illudant, sibique maxime.

Atqui omnibus mens neque eadem neque ratio,
Nimisque amant suos parentes liberos.
Gal. Ita est. Parum secede mecum hac, obsecro;
Est nanque quod secretius tibi in sinum
Fundam. Did. Libens facesso, duc me quolibet;
Paucis tamen (quod ad alia festinem) modo
Loquendum erit. Sunt nanque qui praepropere se
Ferulae meae subduxerint, nisi caute eos
Mox antevortero, quemadmodum accinctum vides.
Gal. Video, sed audi me tribus modo verbulis.
Did. Audio. Gal. Petriscus in schola est? Did. Est in schola.
Gal. Ideo obsecro te quam potissum maxime ut
Ad sanguinis effusionem usque flagris
Caedatur acrioribus, priusquam eas.
Ne si quid interim (ut est sagax) ei per hos
Suboleverit, meditetur aut fugam, aut suam
Matrem subornet lachrymula ut se liberet.
Did. At unde castigavero? nam caedere
Palam omnibus causa latente haud congruit.
Gal. Heu, causa talis est, ut et tandem mihi
Mala pertimescam et filio. Praeter dolos
Mendaciumque, quae et ipse crebro expertus es,
Praeterque furta casei atque butyri,
Praeterque furta carnium atque piscium,
Etiam subinde sustulit pecuniam. Did. Hui!
Gal. Quapropter obsecro tuam prudentiam,
Ut corrigatur ocyus, dum foris ero
Mecumque coenaturus adsis vesperi.
Did. Referenda gratia est, libensque quod rogas
Prius exequar. Gal. Quod atque dictum oportuit,
Venare quonam transtulit. Did. Rimabimur.
Quantum negocium parentibus suis
Plerunque liberi ingerunt! Disc Didascalus
Redit. Petriscus absque controversia
Caedendus est; non absque causa enim pater
Severitatem praeferebat pectoris.

Did. Silete. Sequimini, mihi exequenda sunt
Alia, priusquam abivero. Disc. Quid dixeram?
Caedendus est puer absque controversia,
Quod cum Cabisco fuit ei convivio.

Actus primus. Scaena tertia.

Didascalus. Petriscus. Discipuli quatuor.

Proferto flagra, Claviger. Petrisce, ades.
Petr. Quid vult? Did. Ades, paucis loqui tecum volo.
Petr. Adest Petriscus, ecquid in me criminis?
Did. Tu solve subligaculum, parentur ii
Quoque, qui futuri sunt mihi adiutorio.
Petr. Qui caedar omnino innocens? Did. Tun' innocens?
Tu praeter ova, caseum et alia plurima,
Quae sustulisti ex aedibus creberrime,
Neutiquam pepercisti patris peculio,
Et innocens? Petr. Id nemo mihi probaverit,
Neque mater unquam tale de me dixerit,
Quam huc advocatam oportuit (si mecum agas
Iuste) priusquam caederer; vel testibus
Probato quod falso astruis. Did. Quod ex tuo
Parente didici non potero non credere.
Petr. Vernaculi mendacibus credit pater
Instinctibus; nego, ni probetur testibus.
Did. Nos iudicis testisque fungimur loco.
Tu caeditor. Vos tendite ac dissolvite.
Petr. Heu! Did. vivam ad usque cutem; videbo si queant
Haec flagra testem accersere; protendite,
Tenete fortiter. Petr. Innocentem caeditis.

Proh Iuppiter, quid patior? O deum fidem, O
Praeceptor, o praeceptor! Did. Es adhuc innocens?
Petr. Haudquaquam. Did. Adhuc testesne? Petr.
Testis ipse sum,
Ego ipse sum furti omnium. O! Did. At quo elata sunt?
Petr. Cabisco et alteri Stypisco tradidi, O!
Did. Digni profecto quibus ferantur plura.
Quid reddidere? Petr. Furta praeter sua nihil.
Miserere sat caeso, O! Did. Patrabis amodo?
Petr. Nunquam patravero. Did. Amodo te corriges?
Petr. Correxero, correxero, miserescito!
Did. Surgat. Sedete in classe quisque propria.
Cave, Petrisce, ne quid ultra exaudiam.
Petr. Meminero dum tempus sinet. Did. Quid murmurat
Nequam? Petr. Nihil. Did. Nequissimum ingenium
istud est,
Cave. Disc. Fugit, praeceptor, excurrit schola!
Vin' huc reduci? Did. Hem, currat in malam crucem!
Petr. Vah, sordide ac pedunculose Didascale,
Meminero dum queam. Disc. Minatur, obstrepit.
Lapidesque mittit, vin' citi prehendimus?
Did. Nolite filii, suo se tempore
Ipsus prehenderit, ipsus irretiverit.
Vos expedite ad alia quae proposueram.
Ubi paululum quieverim concessero.
Disc. En expediti te foris morabimur.
Ut iam Petriscus ululat ante aedes suas!
Matrem illico videbimus procedere. Petr. Heu,
Mater mea, obsecro, prodi foras! Disc. Opus ingredi.

Actus primus. Scaena quarta.

MYSANDRA. PETRISCUS.

Quos eiulatus audio pro his aedibus?
Quis lachrymat? tun' mi Petrisce lachrymas?
PETR. Ego lachrymo, mater. MYS. Fatere quid accidit;
Num caesus es? PETR. Gravissime, o mater, flagris
Acerrimis. MYS. Quid feceras? PETR. Prorsus nihil;
In innocentem enim hoc modo bacchatus est
Didascalus; vide ut cutis mea lacera est,
Ut membra livent, ut rubenti sanguine
Infecta vestimenta sunt. MYS. Papae quid hoc
Mali? perinde ac in latronem saeviit.
PETR. Id diceres, si me videres distrahi.
MYS. Mitte haec. Quid inquam feceras? PETR. Nihil quidem
Commiseram, verum pater meus prius
Quam abiret accusaverat me criminis.
MYS. Pater tuus te criminis? de quo, obsecro?
Quae adulteria, quae stupra, quaeve furta sic
In te acriter punita sunt? Unde arguit?
PETR. Dicere vereor etsi innocens: furti arguit.
Me mala, pyra, ficus nucesque dixerat,
Sed et ova saepe sustulisse ex aedibus.
MYS. O animos truces Didascali! Minutula haec
Delicta castiganda erant tam saeviter?
Quaenam (malum) dementia et patrem tuum
Eo impulit, uti te iuberet propter haec
Tam atrociter laniarier, lacerarier,
Etiam si ea ipsa admiseris? PETR. Pol neutiquam,
Mater! Liturgus haec patri falso omnia
Suggesserat, pluribus at ipse obnoxius.
MYS. Liturgus haec? Mecastor hic vesaniae
Suae dabit poenas! Sategero quoque

Ut neuter impunitus istuc egerit.
Mecum Petrisce mi domum ingredere, ut tibi
Calido incubanti lectulo permollia
Fomenta et unguina adhibeam. PETR. Mater, praei!

Chorus Scholasticorum.

Iambico dimetro.

Amor parentis in suos
Sit temperatus liberos,
Ne moribus petulantium
Conniveat, sed arguat.

Si indulgeat lasciviae
Parcatque lentis virgulis,
Protervientes senserit
Necique vix subduxerit.

Lucretio gnatus, cruci
Cum adduceretur, ab osculo
Nasum momordit, parvulo
Quia fuerat indulgentior.

Quid necuit Heli ac liberos
Una die, nisi blandior
Correptio et remissior
Impuberum educatio?

Quin David Ammon passus est
Caesum ense fratris Abessalom,
Quod non sororium ob stuprum
Redarguit clementior.

Actus secundus. Scaena prima.

Iambici trimetri.

PHILOCHRYSIUM sola.

Bellum diurnum plus timent mei amiculi
Duo cum Didascalo in schola, quam singuli
Nocturna mecum proelia in thalamo aggredi.
Et ob hoc meam hanc operam locabo tanto eis
Lubentius, quanto obsequi malunt mihi in
Complexibus, quam in lectione Didascalo.
Videbo et explorabo, ne didascalus
Fortassis inconsideratos opprimat.
Papae, ipse adest repente subdolus, suis
Stipatus (ut solet) undique auditoribus.
Quid facto opust? intro recurrendum ocyus
Et indicandum amasiis, si quo modo
Praesentibus malis queant occurrere.
Neque fugiendi neque latendi hic est locus.

Actus secundus. Scaena secunda.

CABISCUS. STYPISCUS. PHILOCHRYSIUM. DIDASCALUS cum quatuor discipulis.

Ut dixeram prius, prehendite alacriter
(Si occurrerint) nequissimos, ne aut impetu aut
Minis eorum terga vertite. DISC. Neutiquam.
DID. Pulsabo ad ostium. Recludite has foreis!
PHIL. Quis pulsat ostium meum? CAB. Praeceptor est.

Did. Recludite! Styp. Haud recludimus, quin te magis
Tuosque disturbamus aedibus, nisi
Sponte redeas. Did. Aperito tu, mulier, fores,
Nequando iure consulatus te arguat.
Disc. Praeceptor, in te lotium! Styp. Habet! Phil.
Tun' sordide hoc
Meum relinques ostium? Styp. Cabisce, ades,
Tu saxa coctilesque lapides suffice,
Philochrysium, tu profer huc plus lotii,
Facile hunc Aristarchum aedibus repulerimus.
Pedunculose, sordide ac phanatice,
Nondum recedis ab aedibus? Disc. Petrae ruunt,
Praeceptor, effuge! Did. Irrita haec industria est;
Captanda consilia altera. Heus tu, Claviger,
Accede consulem, roga mittat duos
Lorarios, qui corrigendos exigant.
Curre, hoc loco vel in schola morabimur.
Disc. Factum puta. Curro, revertor, hic resisto.
Cab. Ut iners et ignavus modo astat turpiter!
Abi cruente, haud amodo caesurus es!
Did. Nisi ego cecidero caedet ipsus carnifex.
Vetus est paroemia: Si patrem non audias,
Post vitricum auditurus es. Quid, filii,
Quid mihi rebelles improbe aversamini
Praeter meam eruditionem, quicquid est
Et honestum, et aequum, et utile et pium? an nihil
Vos pudeat horum? an non dii ulciscantur haec?
Similesne vestri cernitis passim cruci
Gladiove adactos emori infoeliciter?
Descendite, heus, descendite, ut peiora non
Patiamini! Styp. Quas tu cruces, quosque gladios
Nobis paras, vanissime? Hinc si non abis,
Saxis tuo illisis cerebro hanc plateam
Tuo cruore purpurabo. Abito dum.
Disc. Hem! Saxa mittitis in Didascalum, impii?
Saxane remittimus? Did. Tacete, quiescite.

Praestat tacendo iniuriam mihi fugere
Quam multa respondendo vincere. Expedit
Redire dum lorarii veniant, quia
Cum stulto inire praelium stultissimum est.
Eamus, ante ludum adest muliercula,
Quae me expetit conventum, ut autumo. Disc. Refuge,
Mater Petrisci ea est. Did. Nova ea contentio est.
Vos introite.

Actus secundus. Scaena tertia.

Mysandra. Didascalus. Petriscus.

Sordide plagoseque
Didascale, ut quid in meum hunc sic filium
Crudeliter grassatus es? Non sic ferae,
Trux carnifex, non sic ferae a venaticis
Canibus solent lacerari, ut hic tenerrimus
Laniatus est. Did. Sile parum, muliercula.
Mys. Egon' tibi silebo, pestis? egon' tibi
Silebo? Vix me contineo quin in tuos
Manibus capillos evolem. Did. Quis te malus
Genius agitat, muliercula? an nulla ratio
Tibi reliqua est? Quo fine tandem filium
Tuum in hanc scholam mihi tradidisti? nunquid ut
Post scelera postque flagitia impunita sit
Nequitia, peniculove vulpis vapulet?
Nonne erudiri volueras cum adduceres
Et pro sceleribus corrigi? Eruditio haud
(Ut is vel invitus fatetur) defuit,
Cur ergo vis sola absit huic correctio?
Pluris facis doctrina et eloquentia
Quam moribus pulcherrimis fore praeditum?

Mys. Non vitia corrigi, sed oviculam veto
Innoxiam excoriarier. Fera bestia,
Haeccine tua est correctio? Iam didicimus
Quae saepenumero audivimus, quonam hactenus
Pacto usus es nostris, tyranne, liberis.
Probis satos parentibus et innoxios
Sinamus ita caedi, trahi, mactarier?
Did. Innoxium vocas, qui adhaesit noxiis?
Qui rem tuam domesticam furto abstulit
In ganeumque transtulit? Qui in fornice
Latens vagabundusve saepe schola abfuit?
Petr. Mentire singula! Egone, mater, patiar haec?
Did. An mentior, qui a patre partim istaec tuo,
Partim ab aliis vera didici, partim quoque
Mihi ipse fassus es? Petr. Ego fassus sum tibi?
Mentiris aedepol. Did. At hic grex testis est.
Mys. Fors verbere extorsisti ut aliqua diceret.
Et quid si (ut assuevere pueri) vel pyra,
Vel mala, vel ficus, vel his simile abstulit?
Did. Adde ova, carnes, caseum et pecuniam.
Petr. Mentitur impudens. Did. Vel ego vel tutumet.
Mys. Quid audio? Tantillus hic puer audeat
Vel istiusmodi vel obolum attingere?
Did. Et felium catuli subinde lebetibus
Carnem extrahunt. Mihi crede mulier, si sinas
Adolescere hoc pacto tuum puellulum,
Vereor cruci ne tandem adultum nutrias.
Mys. Quas tu mihi obtrudis cruces, homo omnium
Deterrime? Egone filium meum cruci? Petr. Hem,
Egone cruci? caedamus! Mys. Impudens caput!
Did. Te contine mulier, alioqui ad consulem
Duci iubebo, adsunt enim lorarii. Petr. Hui!
Cedamus hinc mater, valeat! Mys. Haud sic tamen.

Actus secundus. Scaena quarta.

Lorarii duo. Didascalus. Discipuli duo, Polymathes et Philomathes.

Versus tetrametri seu octonarii.

Abi domum impudens, bonosque desine incessere viros
Convitiis, sinon velis (ut merita) cras traducier.
Salve magister! Did. Vosque avete, probi viri! Lor. Τοῦ λυγκέος
Ὀξύτερος εἶ. Did. Quid ita? Lor. Quia probitatem inesse perspicis
Utrique nostrum, quam hactenus vel alteri nemo tribuit.
Did. Facete. Lor. Erat cum muliere mala (ut video) tibi contentio.
Did. Nec id infrequens ludi magistris, quis profecto miserrima est
Conditio. Lor. Lites redimeres has, vulpiumque caederes
Peniculis. Extra iocum: quid advocasti nos duos?
Nostra indiges opera? an rebelles quos oportet corrigi
Sese erigunt? Did. Audite me: meretricula in vicinio est
Cui se applicant duo ex scholasticis meis nequissimi,
Quos corrigendos dum volebam adducere, obdito ostio
Missis lapidibus propulerunt desuper. Quapropter et
Opus mihi vestra est ope et prudentia, sed maxime
Authoritate publica. Lor. Iuvabimus pro viribus.
Praecede, duc nos ad locum certaminis, quia pugiles
Tuos videre perlibet, cum quibus oportet congredi.
Did. Eamus. Disc. An concedimus? Did. Manete, praestolamini.
Pol. Vaeh natibus immo tergoribus illis, quibus tot verbera
Immorientur! Horreo memorans. Tu, claviger, virgas para,

Pulsant domum. PHIL. Nostri silent. POL. Introque rumpunt viribus.
PHIL. En alter exilit, tenet magister, alterum extrahunt,
Sequitur meretrix eiulans. POL. Fortasse caesa fustibus
Viden' ut manu aversa retunditur? PHIL. Video, vice savii.
POL. O utinam et ipsam huc pertrahant, dissaviandam mastyge.
PHIL. En, iam revincti funibus ducuntur haud secus ac solent
Fures phylacae adducier. POL. Spectaculum lepidissimum!
Iam quicquid irrogaverint probri aut doli mulctabitur;
Verum, quia adsunt proximi, cedamus intro. PHIL. Ita censeo.

Actus secundus. Scaena quinta.

LORARII duo. DIDASCALUS. CABISCUS. STYPISCUS.

Hos hactenus nostros recipe magister et scholastico
Ex more corrige. Alterum servabimus dum tu alterum
Caecideris, nequid tumultus interim in schola excitet.
DID. Solve. An, Cabisce, non foret modo honestius, me audito ad has
Spontaneum venisse plagas, quam per hos turpissime
Trahi ministros publicos et hanc movere tragoediam?
CAB. Caedes modo, at non amodo. DID. Faxit deus, verum cave,
Ne postea te caedat atrox carnifex; quod est meum
Nunc exequar. LOR. Quo privilegio secundus vapulas?
An te superior ille nequitia, prior quod vapulat?
STYP. Ridete nunc; fortassis olim non adeo ridebitis.
LOR. Cessent minae. Numera, Stypisce, quotnam cottabos
Socius ferat, perferre cum te totidem oporteat.
STYP. Truces

Vos glutiant, vorent lemures et ater tartarus!
Me vos quoque enecabitis? Retaliabo si queam.
Lor. Probe salutat nos, habenda gratia est. His vinculis
Solvatur atque vestibus spolietur, ut eo alacrior ad
Pugnam siet, nostroque munere hoc modo expeditius
Fungamur. Styp. Hui, lorarii me solverint? Lor. Lorarii
Possunt ligare et solvere; huc profer lacertos; ne simul
Cum Sosia Plautino et ante cottabos pugnos edas
Atque colaphos. Probus est; soluto cingulo tunicam abstrahe,
Thoraca laxa, ut vivam ad usque cutem facile Didascalus
Indusium mox auferat. Styp. Diespiter vos perduat.
Lor. Redit Didascalus: ut salutes ratio et ordo postulat.
Vocatum ad ulmeum modo accubare faciet ferculum.
Did. Eho, altero hic festivior, qui se apparavit praelio.
Lor. Nos antagonisten novum tibi ante praeparavimus;
Praeter tua unguina nil fere desyderatur amplius;
Propter minas linguaeque virulentiam nostram hanc ei
Operam locavimus. Did. Probe actum. Et hunc athletam inunxero.
Ades, sceleste. Nonne mage decebat auscultare mihi
Quam hoc scemate exemplisque pessimis palam traducier?
Styp. Traducitis, traduxeroque vos, fuat si occasio.
Lor. Abi, data en nobis prius iam occasio haec, videto ne
Etiam secundo detur et poeniteat impudentiae.
Quid tu fugis post verbera? Stultam facis rem; si quidem
Licuisset has plagas fuga evasisse, prudentissimum
Profecto iudicarem, at ubi iam caesus es, quorsum fuga?
Numera sodalis cottabos animosque moestos explica.
Cab. Explicuero mox Baccho, dapibus et puellis candidis.
Lor. Eho puer, tu Veneri, Iaccho, epulationibus vaces?
Cab. Vobis quoque invitis. Lor. Et unde tibi pecuniae? Cab. Et quid ad
Vos attinet? Lor. Iam adest sodalis. Cab. Commodum. Lor. Sequitur quoque

Praeceptor. Cab. Ad corvos, neque amodo mihi praeceptor est.
Valedicimus palam tibique, literisque et ludo huic.
Styp. Valedicimus meminerimusque olim, ubi fuerit occasio.
Did. Abite, abite vel ad crucem, dum neque suavibus quidem
Neque asperis corrigimini. Cab. Vah sordide! Styp. Vah carnifex!
Lor. Valeant, magister, hi improbi. Did. Caveant sibi. Quod muneris
Mei fuit subivi, habeoque gratiam vobis, viri
Fortissimi, mecumque adeste in prandio. Lor. Placet; iterum
Illi ad suum rediere prostibulum. Did. Doleo, vos sequimini.
Crepit ostium in vicinia; vitanda turba; sequimini.

Actus secundus. Scaena sexta.

Mysandra. Petriscus.

Versus septenarii.

Vir abest, Liturgus abest, familia abest, vacant plateae
Vacantque vicinae domus; quid sola ego obtuebor
Deses parietes? Feriaene publicae? Petrisce
Ades; (est enim quod filio mandem priusquam abibo ad
Philoeniam atque Euodiam); heus, prodisne? quid moraris?
Petr. Matercla, praesto sum, quid est quod mea opera curatum
Voles? Mys. Cape has claves; domum dum rediero curato.
Petr. Curabo. Mys. Adibo proximum oenopolion ad amicas

Veluti spopondi. Si pater vel si Liturgus veniat
Tu traditis his clavibus me accerse, modo requirant.
PETR. Facesso; verum ad ludum ut exeam statim necesse est.
MYS. Ubi feceris quae iusserim demisero, quocunque
Libuerit ibis, interim claudenda claudito, atque
Siqua aperienda aperi. Cave ne quid domesticarum,
Mi gnate, rerum pessum eat. PETR. Matercula, id cavebo.
Euax! Mihi omnia credidit mater mea his collatis
Mihi clavibus. Iam intra, Petrisce, ad quaslibet parentum
Opes! Reclude matris abdita scrinia, ut pigmenta et
Piper eximas; aperi patris thesaurum, ut inde argenti
Quantum citra notam audeas tollas. Adi securus,
Nam solus es sine arbitris, foribusque pessulum obde
Nequando callidus Liturgus opprimat te incautum.

Chorus.

Versu dimetro.

Quanquam probi infestos sibi
Semper tulerunt improbos,
Tamen fuerunt ante nos
Feliciora tempora.

Iam ridet auditor suum
Didascalum, puer senem,
Sanctum prophanus, impius
Pium, parentem filius.

Iuratio, devotio
Obscoenitas, lascivia,
Furtum, dolus, procacitas
Pueros cum ephebis occupant.

Mores parentum lubrici,
Amplectitur quos puerulus,
Nimia quoque indulgentia
Causa atque fomes omnium est.

His itaque non medebimur
Nisi tum parentum, tum boni
Didascali vita integra et
Correctione acerrima.

Stultitia, si ligata sit
(Schlomonis ex sententia)
In corde pueri, virgula
Severiore fugabitur.

Nam virgula dum caeditur,
Non corpus ipsum occiditur,
Sed liberatur ignibus
Caesi anima horrendis tartari.

Quamvis enim impossibile sit
Corrigere quem deus oderit,
Caedendus est tamen impius,
Quo habeant timorem caeteri.

Actus tertius. Scaena prima.

LITURGUS. PETRISCUS.

Septenarii.

Diutius moratus est me lanius, ut dii omnes
Morentur ipsum in distrahendis carnibus vicissim.
Quod commodum sibi sedulo investigat, at quod aliis
Incommodet, perpendit ipsus neutiquam. Nam certo
Est certius, si verbera evadam, hera mea maledicta

Mox ingeret, magnae infidelitatis insimulabit.
Herus modestus est, herus tranquillus est, contra illa
Nil immodestius, inquietius impudentiusve.
Iam plena compita sunt, in ore est omnium procacis
Malicia foeminae, qua in optimum virum insanivit
Pro pestilente filio dignissimeque caeso.
Petr. Si ipsam mihi teneam catenis ferreis fortunam in
Nervo ligatam, non queam extorquere commoda tanta
Quanta ultro iam est largita. Pipere, saccaro atque cinnamo
Hanc manicam et intimos sinus tunicae replevi; ac aurum
Suffarcinabo peplo involutum in subligaculo, ne
Si fors sit explorata me crumena furti accuset.
Ex mille nummis quindecim vix abstuli, sed totos
Rutilos et aureos. Pater non deprehendet; quodsi
Deprenderit, tempus docebit quid reus praetexam.
Et commodum; nam adest Liturgus, autor huius furti
Futurus, ubi res postulaverit. Has eidem claves
Tradam atque abibo, sodalibusque cuncta mox partibor.
Quid ades Liturge? Quid inquam ades serius, ubi transivit
Ferme hora prandii? Lit. Quod haud possem citius adipisci haec,
Quae voluerat matercula tua, cuniculos, perdices,
Capum, anserem, vervecis armum et his similia.
Ubi est hera? Petr. Abiit cum familia, iussit et tibi claves
Has traderem, nam lectionum tempus est, ludum adeo.
Lit. Da, vade, ne pater domi forisve te prehendat.
Petr. Vado. Bene est quod omnia evenere fortunate. Hui,
Vaeh mihi, redit pater, ni fallat oculus. Ipsus
Est; aliquid ut me hoc explicem pavore comminiscar.
Adveniat! Est quod facile persuadebo; obit commentum.

Actus tertius. Scaena secunda.

GALENUS. PETRISCUS. MYSANDRA.

Trimetri.

Ubi sunt libri Petrisce? Quin scholas adis?
PETR. Sub vestibus, pater. GAL. Explica, ne (quem admodum
Edoctus es) furtum rei domesticae
Suffarcinaveris. PETR. En, pater mi, codices.
MYS. Plus satis in uno exhauriendo congio
Morata sum, quod non venirent quae tamen
Dudum mihi spoponderant. Nunc tempus est
Parare vesperi quae edenda sunt. Quid hoc?
Eho, redit Chrysippus hic solito prius
Rursumque vexandum Petriscon excipit,
Scrutatur atque territat. Quid hoc (malum)
Dementiae? Si impune puerum laeserit
Mysandra non vocabor. Haud me deditus
Examini videt, morabor in ostio,
Ut candide excipiam virenti verbere.
GAL. Esto, sed hac iter ad scholam? PETR. Non est, pater,
Verum ad meam materculam (uti praeceperat)
Vocandam eo. GAL. Quo mater abiit? PETR. In forum
Pater, quo emat quod erit necesse vesperi.
GAL. Abi, cave mendacii ne te arguam.
PETR. Successit hoc; iam adibo praefectos meos
Ubi matrem adesse patrem atque servum dixero.

Actus tertius. Scaena tertia.

GALENUS. MYSANDRA.

Nil mihi boni praesaga mens de filio
Promittit, una heu mater in culpa est, suam
Demens per indulgentiam, quod funditus
Corrumpitur. Si obnitar illi aut arguam,
Mox gliscit odium et iurgium et turbatio. At
Quid in ostio ipsa? Profecto sunt quae non satis
Cessere ei ex sententia, pallori enim
Vultus rubor permistus istuc indicat.
Quid pestilentius viro sit pacifico
Muliere mala? non aspides, non tigrides.
MYS. Impie, cruente, edax tuorum viscerum,
Quid in meum gnatum tuos animos truces
Iam prodidisti, ut instar pecudis redeat huc
Laniatus? An paterna mens tam dura sit,
Ut filium suum adeo discerpi velit,
Te praeter unum in beluam mutabilem?
GAL. Uxor, tuis moderare paulum affectibus,
Sermonibusque brevibus aurem accommoda.
Scis cur puer percussus est? quid fecerit?
Non pro leviculis aut minusculis (quod et
Fortassis arbitraris) his affectus est
Plagis, sed ob mendacia, ob furta, ob mala
Furum sodalitia, quibuscum in ganeo
Versarier didicit, scholasque omittere.
Ea propter istunc (ut decebat) ulmeis
Caedi flagris, non ungulis discerpier,
Mandaveram. Id crudelitatis arguis,
Id impium, id vel beluinum iudicas
Si ob scelera sua puer parenti vapulet?
Non hoc sacris iussum et prophanis legibus?
Non aequum, honestum et patriae assuetudinis?

Quin te mage ausim criminum caput omnium
Contendere, utpote quae tua indulgentia
Pueri indolem alioqui bonam corruperis.
MYS. Mentiris istaec omnia, insulsum caput.
Num annos puer vix quatuordecim habens tibi
Scortabitur, furabitur, bacchabitur?
Egone eidem omnis mali dedi originem?
Hem tibi, caput stolidissimum! Sic disce, sic
Disce obloqui mendaciter mihi, impudens
Nugator, insontemque caedere filium!
GAL. Prima haec feram, mea uxor, abs te verbera,
Verum secunda si feram iam nescio.
MYS. Feres secunda et tertia, modo pergis hoc
Modo loqui. GAL. Heu! MYS. Ne fle, miser! GAL. Certe miser!
MYS. Sic terge ocellos, atque abi in malam crucem,
Nam senties peiora si reverteris.

Actus tertius. Scaena quarta.

GNORYMUS. GALENUS. MYSANDRA.

Strepuit domus vicina turba aut iurgio;
Videbo quid siet. Galenus astat hic
Prae foribus. Heus, vicine, quid faciem fricas?
Quid lippiunt oculi? Quid aegri passus es?
GAL. Fumosa domus est, et oculis meis nihil
Fumo molestius; adeoque cum mea
Uxorcula iurgatus exeo; propulit
Fumusque. GNOR. Quid fumus? cum et ipse annos decem
Habitaverim hanc domum, nec unquam (quod sciam)
Fumo molestam passus sim. GAL. Sic est, vide.

GNOR. Videbo. Ubi hic fumus? MYS. Secundo ades, impudens?
Feras secundo oportet. Hem tibi! GNOR. Malum! GAL. Habet.
MYS. Tune es? virum putabam. Abi, quod habes tene.
GAL. Redit. Quid est? Fumosne nondum expertus es?
GNOR. Haud miror equidem, quod modo haec fumosa sit,
Cum extra focum ligna ardeant virentia.
Cuius domus tali rogo haud fumosa sit?
Cuius oculi fumo pari non lippiant?
GAL. Hahahe, te et experirier fumos meos
Opportuit? GNOR. Vicine, eamus, obsecro,
Et optimo vino serenemus oculos;
Moeroribus medeamur his Bromio sacro
Laetisque poclis abluamus tristia.
GAL. Placet. GNOR. Quid age dic, mi Galene, quid tibi
Cum illa negocii? GAL. Audies: gnatum meum,
Quod clanculo quaedam domo abstulit, acribus
Caedi flagellis iusseram. GNOR. Merito quidem.
GAL. Id uxor aegrius ferens (quia filio
Indulget ultra quam sat est) me primulum ex
Agro reversum obiurgat impudentius;
Cum deinde totius mali ipsam dicerem
Fontem atque originem, virentem insaniens
Fustem meo illidit levatum vertici.
GNOR. Post tale tonitru hymbrem sequi necesse erat;
Sed sustines? GAL. Non sustinerem, Gnoryme,
Si mihi perinde placeat ac tranquillitas
Turbatio; primum hunc feram, non alterum.
GNOR. Dum animus quiescit coniugis secreto adi,
Expostula acriter cum ea de singulis;
Si lenitate flexeris, longe optimum.
GAL. Et haec mea est sententia. GNOR. Hem, cedamus hac,
Contraque curas hauriamus congium.

Chorus.

Iambico dimetro.

Creata sunt solatio
Baccho dicata munera,
In gaudiumque danda sunt,
Sumenda quoque moerentibus.

Sumenda sunt moerentibus
Pro temperato gaudio;
Non regibus nec satrapis,
Ne iusta et aequa negligant.

Si hostis greges abegerit
Si cura mentem presserit,
Si uxor malis me affecerit,
Vinum bibendum porrige!

Dum mea Megaera in me furit,
Dum blacterat, dum perstrepit,
Dum illidit aulam vertici,
Vinum bibendum porrige!

Porrige bibendum largius
Unum duosve congios,
Ut mens dolore tabida
Per Liberum refloreat.

Dum flavet in calice merum,
Dumve exiluerit poculo,
Cave modum ne excesseris
Gulaeve nimis indulseris.

Nam blandius solet ingredi,
Ridentis instar pueruli,
At nisi modum servaveris
More aspidis momorderit.

Si biberis immoderatius
Quod gaudio creatum erat,
Iram, probrum, libidinem,
Simileisve pestes imbibes.

Cui vaeh? cui querela? cui
Plagae ? Cui discrimina?
Viro, qui Iaccho deditus
Studet hauriendis poculis.

Mediocritatem igitur tene,
Ne plus minusve sumpseris
Necessitas quam postulat.
Extrema enim vitiosa sunt.

Actus quartus. Scaena prima.

Iambici senarii.

PETRISCUS. CABISCUS. STIPISCUS.

Illa regressa adibo praefectos meos
Plane futurus luce clara acceptior.
Adeste socii! Adeste amiculi! Ostium
Reserate quam potestis hoc citissime!
CAB. Congerro salve! Quid agitur? Sana est cutis?
PETR. O, mi Cabisce, quot ictibus natas meas
Laniaverat Didascalus! Qui, amabo, dic,
Utrique vestrum cum magistro convenit?
CAB. Prorsus nihil; nam venit huc violenter, ut
Nos in scholam perduceret, sed lapidibus
Abactus est. Misit ministros publicos;
Quibus resistere non valentes saeviter
Vincti sumus, tracti sumus, caesi sumus
Tam immaniter, Petrisce, ut hulcerosior

Nostrum utriusque sit cutis quam scabrae ovis
Aut omnium qui in compitis stipem rogant.
Meis medentur clunibus Philochrysium et
Socii Philargyrium. Petr. Suavis unctio!
Cab. Quid plura? uterque scholis renuntiavimus.
Petr. Et ego renunciavero, si cesserit
Materculae ex sententia. Iam, amiculi,
Videte quis me dotibus fortunula
Beaverit. Videte cinnama, saccarum
Piperque plurima. Styp. Per Aphroditen plurima.
Petr. Nondum omnia. Styp. Hui, quid subligaculo erues?
Per Herculem, pecuniam! Cab. Pecuniam?
Styp. Pecuniae (ita me Mercurius amet) satis!
Petr. Videte nunc. Styp. O Iuppiter, iam Caesare
Beatiores, aureos philippeos
Videmus ultra quindecim. Haec poterunt putas,
Poterunt domi celarier? Petr. Poterunt patri.
Styp. Si illi, sat est. Petr. Haec trado vobis largiter.
Cab. Et nos tibi utram volueris amiculam
Suaviter. Stypisce, nos quidem
Arguimur ignavissimi, si simile nil
Patraverimus. Styp. Institue quod factum voles;
Habebis usque me paratum ad omnia. Cab. Heus,
Amiculae, Petriscon introducite!
Tractate comiter, fovete molliter,
Amate dulciter, dum obambulabimus.

Actus quartus. Scaena secunda.

Philochrysion. Philargyrium. Petriscus.

Videon'. Lepusculum meum? passerculum
Meum? ades, amatorcule, ades, ecquid stas foris?

Philarg. Ducamus intro! Ingredere, belle amicule,
Ingredere! Quid vult erui femoralibus?
Petr. Primum omnium afferri iubete celeriter
Treis optimi musti falerni congios;
Bellos agamus homunculos, meae animulae!
En aureus philippeus. Philochr. Pulcherrimus.
Puella, ades! primum introi, tum misero.
Nam quispiam in vico strepit, ne forte non
Velis viderier. Petr. Sequor, strepitum audio.

Actus quartus. Scaena tertia.

Rusticus. Cabiscus. Stypiscus.

Pecuniam mihi tradidit vir urbicus.
Sed fraudulenti ut plurimum sunt urbici
Et rustico imponunt, queant modo commode.
Iccirco (si sapiam) priusquam abivero,
Numeranda denuo est, et exploranda si
Sit iusti (ut inquit) ponderis, monetaque
Si publica et probata sit. Locus aptus hic.
Cab. Fortuna iam favet, video pecuniam.
Styp. Nihil interest inter videre et habere? Ubi?
Cab. Ubi? Videsne stupide stupidum rusticum
Nummos suos numerantem ad aedes proximas?
Styp. Video, sed an tibi numeret non sat scio.
Cab. Numerat mihi et tibi se velis. Styp. Volo aedepol,
Sed quo modo? Cab. Docebo te brevissime.
Styp. Ausculto. Cab. Iunge te viro, atque cominus
Affare blanditer; inde et inter fabulas
Nummum subduce quemlibet, dein viculum
Te in dexterum mox proripe. Styp. Hem. Cab. Sile parum.

Sequetur ocius, sequenti reiice
(Si sit necesse) posteaquam sat aliis
Abduxeris a nummulis. Styp. Rem intelligo.
Cab. Tace; ego interim tota citus pecunia
Correpta, in hunc vicum sinistrum fugero;
Uterque facile plebis in frequentia
Latebimus. Nunc sine mora ipsum accedito.
Styp. Accedo. Faxit Mercurius ut prospere haec
Utrique cedat vafricies. Salvus sies,
Probe vir; tun' es Portengius? Rust. Non sum quidem
Portengius, sed Spengius; quid hoc rogas?
Styp. Portengius Cocrengiusve si fores,
Per te meis mandare possem amiculis.
Putasne iusti ponderis sit hic aureus?
Rust. Est. Cab. Habet. Rust. Ades! Quo curris, improbe? heus redi!
Cab. Persequitur in vicum relictis omnibus.
Iam iam vices, Cabisce, iam tuae vices.
O Croesi opes Midaeque gazae amplissimae!
Quam multa fors fortuna mi semel aggeris,
Ut integram hanc pecuniae summam simul
Nactam absque furto in pileo sic colligam.
Recurre iam, Cabisce, vicum in alterum!
Move tuos celeres pedes, ne videat aut
Te deprehendat Rusticus cum redierit.

Actus quartus. Scaena quarta.

Rusticus, Philochrysium, Philargyrium, Petriscus.

Versus tetrametri.

Egone miser? egone stultus? qui scholastico vago
Credens Philippum perdidi? Meliust redire ad alteros,

Ne simul et illum et hos. Ut omnia evoluta conspicor?
Heu me miserrimum! Deest summarium peculium,
Basis senectutis meae atque post labores unicum
Vitae meae solatium. Quid restat heu mihi misero
Nisi triste mendicabulum? O cives miserrimi senis,
Miserescite! PHILOCHR. Heus, mi vir, quid hoc clamoris ante hoc ostium?
Quid accidit? RUST. Perii miser! PHILOCHR. Quamobrem? RUST. Ego occidi virûm
Miserrimus! PHILOCHR. Quid hoc? virum occidisti? Erat consultior
Fuga tibi quam clamor. RUST. Ego non occîdi, at occidi miser,
Mulier. Quia ibi desederam paulo prius pecuniam,
Mei laboris precia, numeraturus, adeunt perfidi
Me nil mali tum suspicantem duo scholastici (ut autumo)
Quorum alter (ut blande locutust) mox Philippum surpuit;
Quem dum fugacem persequor venit alter ac totam rapit
Vitae meae substantiam. PETR. Τεχναὶ Καβίσκου νὴ Δία.
RUST. Quid ais, puer? PETR. Te inquam misellum. RUST. Nil profecto certius.
Sed quem citabas in tuo sermone peregrino refer.
Quem tu mihi Cabisco? quid ridetis? PETR. Ου νοεῖ στύπος.
RUST. Quisnam Stypos? Num vestra id actum conscientia? Quis hic
Stypost? PHILOCHR. Abi hinc, Stypos, tuamne nos pecuniam exiges?
Abi hinc, senex delire! Nos scimus tuam pecuniam?
Pulsate, verberate, trudite procul his ab aedibus!
PHILARG. Iaces, senex delire? Abi ocyus hinc vel ad corvos, vel ad
Tua sterquilinia! An tuae pecuniae nos argues
Fures? Abit socors, et ut meret luto foede oblitus.
O, quanta lucra, quanta commoda opesque mox videbimus!
RUST. Quid agam querarve? Quo miser me vertam opis modo gratia?

Si ad praesidem confugero argentum deest, quo iudicis
Animum in meam sententiam flectere queam; vadam tamen,
Si fors meam sortem misertus adiuvet. Quam vera sunt
Quae dicta sunt proverbio: Abit in calamitosum illusio.
PHILOCHR. Te subtrahas, Petrisce, oportet, nam pater cum Gnorimo
Redit ebrius domum; amiculos morabimur nos sedulo.

Actus quartus. Scaena quinta.

GALENUS. GNORIMUS.

Septenarii.

Quid nunc futurum, Gnorime? an domum introgressus iterum
Uxoris infoelix caput verberibus obiectabo?
Malim profecto viro cum fortissimo pugnare,
Necesse si sit, cominus, quam in mulierem rixari.
GNOR. Non ibis hac hora, audies me; vesperi cum instabit
Coena et vocandi iam hospites, stabis meis pro foribus;
Videbis ultro te vocaverit. Non alio pacto
Malam mulierem rectius mollire quam contemptu
Poteris. GAL. Id usque experior; obsequar tibi. GNOR. Prudenter
Facis; docebo te quoque intus pluria. GAL. I, sequor te.
Ignoro quos utrinque risus audiam obstrepentes.
Malo fugere dicteria irridentium quam verbis
Revincere.

Actus quartus. Scaena sexta.

Philochrysium. Philargyrium. Cabiscus. Stypiscus.

Euge, adsunt amiculi! Petrisce, caveto
Ne prodeas; nondum pater propriam domum introivit.
Cab. Cur nam sequenti (ut iusseram) numisma non reddebas?
Styp. Reiicerem egone Philippeum tam splendidum? nequaquam.
Cab. Si redderes minus foret periculi; tibi primum;
Quia unde te accusaret haud haberet praesidi; atqui
Me (ut suspicor) non viderat. Styp. Me accuset, obtrudatque
Me praesidi. Meliust tenere quam abiicere Philippum.
Eccas amiculas; forem observant, mora nulla ne sit
Nobis revertentibus. Philarg. Adeste cito, mora in periclost.
Cab. Quid nunc? Ut estis timidae, ut estis scrupulosae! Mente
Amantem oportet esse libera. Philarg. Profecto oportet.
Fortuna ut arrisit? fuit secunda? Cab. Nunquam melior;
Croesi adfero ingenteis opes. Philochr. Dic serio, Cabisce,
Num rusticum expilastis? Cab. Hem, quid rusticum? Pol nugae!
Quid huius in mentem venit? Philochr. Miris modis turbavit
Iam rusticus nescio quis hanc nostram familiam amoenam
Et liberam. Duobus implanatum ait sese esse
Nebulonibus. Philarg. Scolasticis. Philochr. Quem, ut par erat, trusumque
Caesumque disturbavimus. Technas Petriscus vestras
Certe autumat, Styp. Hahahae! Philarg. Quis hic risus (quod aiunt) plus quam

Sardonicus? Cab. Mea unica Philochrysium, te dono
Hoc munere aureo. Styp. Duploque te Philargyrium hocce
Argenteo donabo munere. Intro iam properemus
Sortemque nostram inter caliculas planius recitemus.
Properemus, inquam. Utrimque nanque in viculis fit
strepitus.

Actus quartus. Scaena septima.

Sycasta. Praetor. Satellites tres.

Trimetri.

Miranda sunt, si quae feruntur vera sunt.
Tum de Cabisci, tum Stypisci fraudibus.
Nisi tempori his praetor malis occurrerit
Paulatim in omnem proruent licentiam.
Quapropter illi haec suggerenda censeo, et
Capienda siqua mihi ferantur commoda.
Et commodum, se Praetor ipsus ingerit.
Sat. Te, heros, Sycastes ultro conventum petit.
Praet. Moremur; hoc cum homine mihi est negocium.
Sat. Delator in casses tuos feram inferet.
Syc. Salve, domine praetor. Praet. Sycasta, salvus es;
Nihil novi? Syc. Parum. Praet. Parum refer. Syc. Nihil
Tibi de Cabisco aut de Stypisco proditum?
Praet. Certi nihil; qui sunt ii? Syc. Adolescentuli
Pol omnium quos terra habet nequissimi,
Qui fraude passim quoslibet,
Qui vina, carnes, lectulos dolo auferunt.
Praet. Qua vafricie? Syc. Longum foret tibi singula
Enucleare; pauca breviter strinxero.
Nosti Lupi intersignium? Praet. Novi probe.

Syc. Scio. Huc Cabiscus et Stypiscus (ut sibi
Condixerant) urnas ferentes fictiles
Ab oenopola postulant germanica
Vina et, quae ibi novere non venundari
Iam, cretica. Inde missi in aedeis alteras
Aquam hauriunt, dulce simulantes creticum.
Denuo adeunt aedeis priores, altera
Fracta lagena, postulantes congios
Vini duos renensis (infortunium
Suum querendo et improbum vinarium)
In aeneo sibi commodando vasculo.
Vir acquiescit precibus, haudquaquam sibi
Data verba suspicatus, at precium meri
In aenea prompti fidelia exigit.
Illi inquiunt omnem se in effusum prius
Pecuniam expendisse; sin credat minus,
Lagunculam cum cretico dare pignori. Hanc
Vir nil doli latere suspicans sibi
Servat. Abeunt spondentque cum pecunia
Mox se adfuturos; sic suo genio vacant
Incogniti damnum ferentes hydriae.
Praet. Per Herculem astus hic facetus; possiet
Remittier, nisi accidisset crebriter.
Syc. Cape reliqua. Cum iidem eadem vespera
Te, praesidem et totum senatum in aedibus
Coenare nossent consulis, viam obsident
Per quam sub horam noctis (ut fit) tertiam
Artocreas ferret minister et alia
Postrema mensae fercula, oppandunt quoque
Tenuem angiporto funem, ut implicitus pede
Improvidus luto incidat. Tandem stata
Rediens minister hora onustus lancibus
Fune obligato praensus in lutum labat
Cavensque dapibus sibi cavere negligit
Verum inquinatus dum studet mundarier
Cum pluribus etiam hi duo simul affluunt;

Alter sibi porrecta edulia sustinet,
Alter laternam dum levat collapsam humi
Simulatque corrigere, dolo extinctam rapit;
Fugiunt uterque per tenebras noctis, et
Casso ministro, te tuisque famentibus
Genio suo indulgent cutemque exporrigunt.
PRAET. Istuc magis furtum sapit. Num plura sunt
Huius farinae quae sient memoranda? SYC. Sunt
(Nisi te gravet prolixitas) quam plurima;
Nam lectum ab altero aeditum alter sustulit.
Modoque ferunt aes abstulisse rustico.
PRAET. Modo? SYC. Modo, fama publica est. PRAET. Sed quomodo?
SYC. Nisi sit onerosa, inquam, tibi prolixitas
Quod fama fert modo publica tibi suggeram.
PRAET. Prolixitatem nec locus nec tempus hoc
Patitur; in auditorio dicturus es.
Sed ubi latere modo putas latrunculos?
SYC. In ganeo se aliquo retrudunt suspicor;
Nam e ganeo ferunt eos didascalo
Iam per ministros publicos contraditos
PRAET. Hem. SYC. Vapulasse. PRAET. Quid ergo? Sunt scholastici?
SYC. Fuere, sed puto iam abdicatos litteris
PRAET. Vade experire; deinde mox domum meam
Revertere. SYC. Faciam quidem non segniter.
PRAET. Vade cito; dum ferrum calet cudendum erit.
Paulum moratus mox domum revortero.

Actus quartus. Scaena octava.

Septenarii.

RUSTICUS. PRAETOR. SATELLITES tres.

Me miserum, ut infortunia infortuniis succedunt!
Hunc circiter locum miser pecuniis meis spoliabar,
Hic vapulabam et in cloacam deprimebar insons.
Et hactenus quaerendo susque deque praetorem adeo
Tandem fatigatus sum ut hiscere vix queam ad loquendum.
Sed eccum, adest cinctus caterva militum suorum.
Adibo; reddat hunc mihi deus pium, mansuetum et
Tractabilem. PRAET. Quid vult sibi villanus ille? adesto.
SAT. Procede, ades, pagane; quid tibi negocii? adsis.
RUST. Volo, sed pudore deferor. SAT. Minus pudendum; accede.
PRAET. Ne sternere, at causam tuam explica absque pavore.
RUST. Heu, domine praetor, hoc die, hac in urbe, in hac platea
Pecuniam quam pro laboribus meis immensis
Paulo prius receperam, tota miser spoliatus
Sum. PRAET. Quomodo? num astu dolove? manibus aut violentis?
RUST. Si me audiat dominus meus, brevi admodum sermone
Astum exposuero, neutiquam violentiam. PRAET. Proferto.
RUST. Dum nummulos meos recenseo venit adolescens
Scholasticum quem suspicabar, comiterque locutus
Mihi primulum, rapit illico imprudenti (ut extimo) unum
Philippeum, fugitque; quem dum nitor assequi, mox
Me paululum abducto venit sodalis (ut coniicio,
Quamvis prius non viderim) et tollit semel mihi omnem,
Mi domine, residuam pecuniam. PRAET. Quis ausit istuc

In urbe libera? quid hoc? Rust. Sic actum. Praet. Eum describe,
Quem videras. Rust. Pulcher, agilis comaque cincinnatus,
Non admodum procerus, at rubente tunica indutus
Nigroque pileolo caput velatus. Praet. Hem, venabor,
Siquo modo hos queam duos praehendere nebulones
Et perdere. Rust. Ecquid proderis misero impios perdendo,
Sinon quod abstulere eidem reddier curaris.
Etsi quidem mi domine agricola sum rudis bardusque
Novi tamen debere te tantum iuvare oppressos
Quantum opprimentes plectere. Sat. Intulit probe, mehercle.
Praet. Quid efficere queam nisi exhibeas mihi nocentes?
Rust. Scrutetur hanc dominus meus domunculam, fortassis
Pecuniae meae indices furesve deprehendet.
Praet. Quo nixus argumento id autumas? Rust. Meam dum sortem
Flerem miser miserabilem hac domo exeuntes ipsa
Hora duae mulierculae, scholasticus quoque procax
Illudere meam calamitatem, opprobrioque affectum
Abigere cum nonnulla mihi de illis foret suspicio,
Et nescio quos mihi Cabiscos, quos Stypiscos ludens
Graece puer memoraret. Praet. Hem, secede paululum, sed
Longius ne abesto; abi. Sat. Per Herculem, hic Cabiscus
Est, hic Stypiscus est, qui similibus tibi, heros,
Sceleribus accusati erant, qui oppignerarunt vino
Redempto aquam pro cretico, atque consulis ministro
Lapsu inquinato traditas dapes sibi abstulerunt.
Praet. Apparet; ostium crepit; videte quis prospiciat.

Actus quartus. Scaena nona.

Trimetri.

Stypiscus. Satellites. Rusticus. Praetor.

Videbo si tutus Petrisco transitus
Hinc ad parentes pateat. Hui, quid praetor hic?
Sat. Hic est profecto, domine, quem iam rusticus
Depinxerat; se subtrahit. Rust. Vidistin hunc
Qui prodiit? profecto is est qui sustulit
Philippeum, reliquique furti conscius.
Praet. Properate vos, irrumpite et producite
Totam familiam, fortiter. Sat. Parebimus.
Aperite! Dissimulant, at intro rumpimus.
Prodite vos, prodite! Praetor vos simul
Vult convenire. Rust. Timeo fortioribus
Aut pluribus tres non queant resistere.
Clamant, fremunt, tumultuantur, obstrepunt.
Res salva; plorant, deprecantur, exeunt
Manicis revincti ferreis, trepidique eos
Sequuntur improbus puer cum foeminis.
Quid nunc futurum? Quid spei mihi reliquum?
Praet. Caedantur haec prostibula colaphis, at alios
Tres in phylacam puniendos ducite.
Tu sequere; reddetur tibi pecunia.
Rust. Denuo renatus videor, hinc actus tuos
Mores tuos heroicos, clementiam et
Prudentiam laude efferam dum vixero.
Praet. Non hoc requiro; sequere me in praetorium.

Chorus.

Iambico dimetro.

Obediendum praecipit
Tum sacra tum prophana lex
Principibus et senatui
Qui plebi honeste praesident.

Non modo piis, clementibus
Probeque praesidentibus
Sed et improbis et dyscolis
Est obsequendum satrapis.

Nam omnis potestas a deo est.
Quaeque a deo ordinata sunt.
Itaque potentibus obstrepens
Dei resistit ordini.

Hi dirigunt rempublicam
Rebusque privis consulunt,
Sine his nec usquam tutus est
Nec in urbe nec in agro locus.

Hi pauperis viduae, orphani
Inopisque causam vindicant,
Hi rusticos innoxios
Servant, perduntque noxios.

Per hos sacris sub aedibus
Ritus sacrorum permanent,
Per hosque leges publicae
Vigent ubique gentium.

Quid Core Dathanque perdidit,
Quid Abessalom, quid Bochriden,
Nisi insolens in principes
Gentis suae arrogantia?

Te itaque magistratum decet
Venerari honore debito,
Quod Caesari ipse praestitit
Christus suisque tradidit.

Ne, dum Iovi recalcitres,
Iaculato ab axe coelico
Cum immanibus gygantibus
Pereas trisulco fulmine.

Actus quintus. Scaena prima.

Iambici trimetri.

GNORIMUS. GALENUS. LITURGUS.

Putavimus pro foribus his bacchantium
Pugnas fuisse; iam nihil timultuum.
Prodi foras, Galene, nugemur foris.
GAL. Perterruit profecto me quoque strepitus;
Sed iam quid uxor incipit? mandata dat
Liturgo ab ostio. GNOR. Ut quidem ante dixeram,
Te revocat ultro, non ferens absentiam.
LIT. Me iussit hera quaesitum abire herum meum et
Gnatum suum, quos ubi modo inveniam haud scio.
At herus ad aedes Gnorimi iocundus est.
GNOR. Num te petit? Quid dixeram? GAL. Men' vis, puer?
LIT. Te rogat hera ut quam ocyssime venias domum,
Quod hospites vocandi et alia in aedibus
Prius ordinanda sint quam coenites,
Rogatque serio honore pro domestico
Iniuriae sis immemor. GNOR. Quin me rogat?
LIT. Quid te roget? GAL. Ut iniuriae sit immemor.

Lit. Cuius? Gal. Hahahae! Lit. Non capio. Gnor.
Abi, venturus est.
Res mitiganda est vesperi. Gal. Dic me adfore
Post horulam. Gnor. Nonne id tibi praedixeram?
Obsequere nunc, vehementius cras argue.
Gal. Stat acquiescere. Heus, adesto vesperi.
Gnor. Adero. Bene est; venit uxor obvia mitior.

Actus quintus. Scaena secunda.

Mysandra. Galenus.

Vereor virum affectum mea esse iniuria,
Quod et absque iusta causa eum caeciderim;
Nam traditis meis Petrisco clavibus
Periere cinnama piper et omne zaccarum.
Verum omnia haec celanda prorsus sunt ei,
Ne habeat quibus firmet etiam partes suas.
Adest; benignius alloquar. Morata sum
Te mi vir hactenus tua indigens ope,
Prudentia atque industria; Veni igitur, ut
Et singla disponamus ad convivium,
Et aureos tribuas duos, quibus piper
Et zinziber cum zaccaro mihi comparem.
Gal. Hui, rursus aureos duos? aromata
Nondum priora absumpta credidi. Quid est
Quod ipsa eam pecuniam non ceperis?
Mys. Id hactenus tentare nolui, ut ipse scis.
Ne oriatur inter nos aliqua suspectio.
Gal. Sequere intro ut accipias emasque tempori.
Mys. Praei, sequar. Pro filio sollicita sum,
Ne forte bacchanalia pariant ei (ut
Usu venit) aliquid mali aut periculi.

Eccum redit Liturgus, at sine filio.
Id quod facit multo magis iam me anxiam.
Gal. Uxor! Mys. Quid occipit? Gal. Uxor! Mys.
Hem, quid clamitas?

Actus quintus. Scaena tertia.

Liturgus. Mysandra Galenus. Lorarii.

Per cuncta compita, fora, sphaeristeria,
Tandem in scholam regressus illum quaerito
Petriscon, et frustra fatigatum manent
Me forte verbera, quod domum non duxerim.
Aiunt sodales accitos iam Praesidi. Hui,
Quid turbae in aedibus? Quid audio miser?
Quae furta mihi tandem imputant innoxio?
Mys. Adest cui tua credidisti omnia, adeo
Ut propter hunc neque parceres gnato tuo.
Huic (freta nempe tua fide) claves meas
Iam credidi. Hic furti reust, hic in aedibus
Solus moratus est. Gal. Ades, trifurcifer,
Cui tanta credidi! Tot aureos mihi
Semel auferas? Lit. Quot aureos? Mys. Numerum rogas,
Nequissime? Lit. Ecquos aureos? Ego innocens.
Gal. Tu plus minus mihi viginti es aureos
Furatus. Lit. Id, here, sobrius non dixeris.
Gal. Tibi ebrius, nefande, videor? Reddito
Celeriter id quod eruisti scrinio.
Lit. Iuro Iovem optimum, supremum, maximum,
Nil me tui attigisse furti gratia
Mys. Respice, marite; commodum, en lorarios;
Adducier iubeto vinctum praesidi, ut
Examinatum praetor in cruce puniat.

Lit. Me praesidi? me praetor in cruce puniat?
Mys. Te praesidi. Lit. Quid commerentem? Gal. Adeste vos,
Propter rei domesticae furta et alia
Crimina scelestum hunc rapite. Lor. Quonam ducimus?
Gal. Ad Praesidem, quo Praetor ipsum examinet
Tantisper in suo equuleo, dum dixerit
Quantum abstulit, quo gessit et quam crebriter
Patravit. Lor. Heu, me innoxium? Gal. Hunc in noxium
Iniicite vos manus. Lor. Renitaris licet,
Nobiscum adibis Praesidem. Gal. Sublimem eum
Rapite; quid estis frigidi? Lor. Nos frigidi?
Quid nunc videmur? Gal. Acriores; tollite;
Ego vos sequar. Lit. Vestram fidem, cives boni
Vestram fidem, succurrite, haec fero innocens!
Gal. A Gnorimo crepit ostium; morabor hunc.
Tu vade coniunx; redime quod necesse erit.

Actus quintus. Scaena quarta.

Gnorimus. Galenus. Rusticus.

Ut habent negotia, mi Galene? Gal. Pessime.
Gnor. Agiturne rex uxoria tibi denuo?
Gal. O Gnorime, omne peculium mihi famulus,
Quem credidi prorsus fidelem, dissipat.
Iam praeter alia, nescio et quot aureos
Furto abstulit. Gnor. Quid ais mihi? Gal. Furto abstulit.
Gnor. Liturgus? Gal. Ipsus. Gnor. Neutiquam speraveram.
Gal. Videor mihi omnium facile miserrimus.
Uxor procax, gnatus rapax furax puer.

Venit fere ad restim negocium meum.
Gnor. Quid ipse? Gal. Constanter negat, quare accitis
Lorariis adactus est ad praesidem.
Gnor. Is iustus est; usque ad quadrantem extorserit
Reddetque fidito. Quid hic senex ovans
Recenset? Heus senex, quid agitur in foro?
Rust. Furtum, dolus, periurium. Gnor. Istaec vetera sunt.
Rust. Expertus ipse sum novissima. Gnor. Hem, senex,
Quid expertus es? Rust. Pecuniam mihi dolo
Duo abstulere perfidi scholastici,
Verum tamen cum tertio, qui quoque suis
Parentibus aliquot aureos subtraxerat
Vincti simul servantur (ut puto) crucibus.
Valeant; meam mihi reddidit pecuniam
Aequissimus iudex. Gal. Quis istic tertius?
Rust. Novi Cabiscon et Stypiscon, tertium
Puerum quidem non noveram. Gal. Liturgus est.
Rust. Hic servus est, adductus ultimo innocens.
Gal. Tun' innocentem dixeris? Rust. Ego dixero,
Quia captus ante parvulus furti reust.
Gnor. Vale, senex. Gal. O Gnorime, o quantum vir hic
Amaritudinis incutit mihi scrupulum.
Hic filiust. Gnor. Vereor ego ipse plurimum.
Gal. Is ipsus est; indicia multa congruunt.
Perii miser! Quin ense coniugem meam
Sexcenties non interemi, quae fuit
Una author huius Tragoediae? Hei mihi!
Gnor. Animaequior sis, mi Galene, forsitan
Periculum non tantum erit quantum imminet.
Accurrit uxor; cave mali quicquam inferas.
Cave graves grave gravioribus malis.

Actus quintus. Scaena quinta.

MYSANDRA. GALENUS. GNORIMUS. NUNTIUS.

Heu nos miserrimos! Galene, filius
Vinctus teneri dicitur, cruci quoque
Adiudicandus. GAL. Impiissima mulier
Stultissimaque, nuncne innocens est filius?
Vides modo quid egit indulgentia? MYS. Heu,
Sero sapio, mi vir, sero sapio nimis!
GNOR. Stet iurgium; videte si redimi queat.
GAL. Quid consilii, vicine? GNOR. Sollicita cito
Siquos habes notos amicos Praesidi,
Ut antequam pronuncietur obvient.
MYS. Accedit huc quis nescio celeri gradu;
Moremur hunc. NUNC. Aiunt Galenum in hoc loco
Morarier, cui traderem has epistolas.
GAL. Heus, bone adolescens, ego Galenus, quid agitur?
NUNC. Has litteras geminas Petriscus filius
Tuus unicus mittit, vide celerrime
Quid continent. GAL. Aperito eas, o Gnorime,
Ut perlegas. GNOR. Ne fle; priores has tibi
Scripsit; didascalo dabuntur alterae.
Audito nunc: In mortis horrendae ultimo
Positus pater discrimine oro et obsecro
Clementiam tuam, ut adiuves me et eruas.
Siquo modo fieri queat. Cum cernerem
Matris meae nimiam per indulgentiam
Vitia fore impunita, per licentiam
Quicquid libebat id licere credidi.
Quicquid domi surripere quiveram dolo
Ad improbos meos sodales, cum quibus
Et ipse sum in furto prehensus, transtuli.
Ego, mi pater, tuam pecuniam abstuli.

Culpam in Liturgum transferendam callidus
Putaveram, verum deus, pius arbiter,
Quo innoxium servet, prehendit noxium.
Nunc itaque, clementissime pater, obsecro,
Ut alteras has litteras sine remora
Supplex meo tradas didascalo, quia
Nisi ille servet de meo iugulo actum erit.
Vale. Igitur accelerato opust; aditedum.
Gal. Eamus itaque, ut tradita hac epistola ad
Clementiam flectere queamus supplices.

Actus quintus. Scaena sexta.

Mysandra. Galenus. Didascalus. Puer.

Quisnam deus dabit hunc virum mihi propitium,
Quem tam improbe insectata sum conviciis?
Gal. Vir obviust, tu prorue et supplex roga
Crimen remitti, quod in eum commiseras.
Did. Salvete vos. Quid tristior solito tuus,
Galene, vultus est? Quid uxor lachrymat?
Gal. Supplex rogat sibi remitti crimina,
Quae in te procaciter nimis commisit. Did. Hei,
Surgat, facile remisero etiam pluria.
Mys. Mei misereat te, magister optime,
Quae oculus meos ad te levare indigna sum;
Sine te tamen mulier ero perditissima.
Did. Ades, bono sis animo, ades, parce lachrymis.
Quid habes? Gal. Lege, o praeceptor, hasce litteras.
Did. Graecasne? Cuiusnam? Gal. Mei, heu . . . Did.
Quid lachrymas?
Gal. Gnati. Did. Petrisci? Gal. Perditi. Did. Hem;
lege hanc, puer.

Puer *Καλῷ Διδασκάλῳ Πετρίσκος εὐπραγεῖν.*
Διδάσκαλ', ἕνεκά μου δόλων ἀνάξιος,
Θαρρῶν ὅμως σῇ χρηστότητι ἐμφύτῳ
Ἱκετήριός σου δέομ' ὑπὲρ ζωῆς ἐμοῦ,
Ὡς χρησάμενος ἐξουσίας σχολαστικῆς
Ῥύσῃ με ταχὺ παρόντος ἀπὸ τοῦ κινδύνου
Σταυρώσεως, ᾧ δι' ἐμὰ κλέμματ' ἐνέπεσον.
Ὅτι οὐκ ἐὰν σώσῃς με σὺ, ὅσον οὐδέπω
Περί μου πέπρακται τῆς δέρης καὶ τοῦ βίου.
Ἄρ' ἐλθὲ λιπαρῶ ταχύτερον, ῥάβδῳ τέ με
Ἔξαιρε, πρίν μ'ἀπολέσθαι αἰσχίστῳ μόρῳ.
Ἔρρωσ' ἐπιστάτα πρευμενέστερε. Did. *Δός.* Puer. *Λαβέ.*
Did. Miseret profecto me utriusque et filii,
Verum quid hic autoritas nostra valeat?
Contrave iura quid mea ferula praesidis?
Id est, Mysandra, mane quod tibi dixeram.
Mys. Nil praeter iram et contumeliam (palam
Loquor) ego merui; flectere misericordia.
Did. Quid graeca quam latina scribere maluit?
Gal. Quo te reor mage flectat eruditio. Heu!
Puer. Moveant, magister, te tam amarae lachrymae et
Gemitus parentum, moveat eruditio,
Moveat quoque puerilis aegra infirmitas.
Se corriget puer, tuasque perpetim
Miserationes praedicabit plurimas.
Did. Audi, Galene; vester, ita deus me amet,
Et sum et futurus sum. Quid autem per meam
Queam obtinere autoritatem nescio.
Eamus, antequam antevortat nos gravis,
Severa et irrevocabilis sententia
Iudicis. Ades, puer, ocyus, gere virgulam Puer. Hem!
Gal. Praetoris optimi Ioves animos parent
Ac mitigent, quo facilius nos audiat.

Actus quintus. Scaena septima.

IUDEX. SATELLITES. FURES. DIDASCALUS. PARENTES.

Nunc hora serior diesque occiduus est;
Producite impios, ut extremam suis
Pro sceleribus sumant palam sententiam.
SAT. Parebimus. DID. Iudex tribunal occupat.
MYS. Heu! DID. Prodeunt rei, accidetis supplices
Praetoris genibus. Heus, ut est Mysandra? ne
Time! Galene, tene labantem coniugem,
Res salvae erunt. IUD. Consistite. CAB. Heu miserrimos
Fures. STYP. Itane nos separas, amara mors?
PETR. O quis deus poli solive mihi puero
Miserabitur? Num mihi pater, num mater est?
Maledicta furta, quae me in haec necis trahunt
Discrimina. O, parvi greges scholastici,
Parete praeceptoribus vestris, cavete
Ab his quoque impurissimis sodalibus!
Hi in crimina, hi in vincla, hi in necem induxere me.
IUD. Satis λόγων. Quis hic irruit temerarius?
DID. Iudex tremende, tibi tribunalique huic
Foelicitatem et aequitatem usque imprecor,
Verum hunc puellum tum parentum lachrymis,
Tum aetate tenera, tum scholastico meo
Pro vetere privilegio, primum rogo,
Dein impero, mihi corrigendum creduas.
Discipulus est meus, meae quoque ferulae,
Nondum tuis, Praetor, subactus legibus.
IUD. Tun' es scholae nostrae didascalus? DID. Ego sum.
IUD. Partem alteram aequitatis esse te arbitrans
Iuri meo iam cessero. Verum amodo
Cave, puer, manibus meis prehendier.
His iudicatis dabo parentibus suum

Mancipium et aurum residuum quod abstuli.
DID. Ago gratias tibi, Praetor, ut queo maximas,
Nostraque si uti opera velis, rursum impera.
IUD. Quin hos quoque eximis? anne et hi duo tui?
DID. Non sunt; fuere aliquando sed rei vale
Dixere litterariae, et ferulae meae
Uterque subduxere iam manum suam.
Veni puer! Iudex, tuam rem perfice.
PETR. Venerande praeceptor, quid unquam pro his tibi
Digne rependero? DID. Tace, poteris quidem,
Sed moribus correctioribus. Veni,
Ut corrigaris more pro scholastico.
Nummis receptis nos parentes sequimini.
GAL. Sequimur, magister, pereat haec pecunia!
DID. Recipite; iudici referte gratiam.

Actus quintus. Scaena octava.

IUDEX. FURES. SATELLITES. PARENTES. LORARII.

Turbavit hoc nobis tribunal paululum
Didascalus. Nunc propius adducantur huc
Iuvenes nefarii. FUR. Heu, salus nulla reliqua est!
SAT. Utrunque, iudex, noxium vides IUD. Bene est.
SAT. Adeste cuncti; state, tacite advortite,
Pronuncianda novissima est sententia.
IUD. Quo civitas sit nostra pestilentibus
Et improbis semper viris liberrima
Hos deprehensos in scelestis actibus
Furto, dolo, rapina et id genus aliis
Et morte dignos iudicamus, et antequam
Sol occidat laqueo necandos in cruce
Pronunciamus. Tuba sonet! Persequimini,

Educite! Sat. Exequemur. Fur. Heu, clangor tubae!
Iud. Lorarii, Liturgon absolutum hero
Reducite, et gnato aureos quos abstuli
Parentibus restituite. Lor. Hem, parebimus.
Par. Te semper, optime Praetor, et laudes tuas
Nos praedicabimus, dieque crastini
Grati erimus hac super tua clementia.
Iud. Iamiam sat gratatum; abite ad liberos.
Sat. Hic verna, et hic est residuum pecuniae.
Par. Ades, Liturge; affecimus te iniuria,
Verum bonis potioribus pensabimus.

Actus quintus. Scaena nona.

Didascalus. Petriscus. Parentes. Liturgus. Gnorimus.

Did. Correctus es, Petrisce, multo mitius
Quam si cruci suffixus esses debitae;
Nunc itaque mores atque studia corrige.
Petr. Correxero, praeceptor, atque gratiam
Olim tibi, si modo parentes negligant,
Rependero. Did. Mox procidens parentibus
Veniam roga, dein pro Liturgo interveni,
Ut liceat esse libero, qui pro tuis
Facinoribus coniectus est in vincula.
Adsunt parentes. Mys. O Petrisce, quîs malis
Adegeras te, me et patrem tuum optimum!
Petr. Ignoscite hanc mihi parentes noxiam;
Non amodo commisero. Par. Hanc ignoscimus.
Did. Bene facitis. Petr. Adhuc est, pater, quod te rogem:
Ob mea facinora pessime Liturgus hic
Affectus est; rogo liceat esse libero.
Did. Profecto meritus. Gal. Liturge, te manu

Mitto. Lit. Habeo gratiam. Gal. Optime nunc omnibus
Praeterque spem cedentibus reliquum diem
In requie agamus atque honesto gaudio.
Tu primus adsis author huius gaudii,
Didascale. Did. Adero. Gal. Adsit inde Gnorimus;
Vocetur huc. Lit. Heus, Gnorime! Gnor. Hem, recta omnia?
Hoc est quod opto maxime. Gal. Foelicius
Mihi cessit ac speraveram. Iam nostro ades
Convivio. Gnor. Licet. Gal. Praei uxor. Sequimini.
Vobis nihil profecto spectatoribus
Hic coximus; quapropter iis quae vos domi
Parastis hinc recedite ut vescamini.

Actus quintus. Scaena ultima.

Epilogus per Gregem.

Spectator, asta paulum adhuc spectaculo,
Ut audias quid in tuam rem effabimur.
Discat Pater post hanc modo actam fabulam,
Ut liberos suos rebelles corrigat;
Discatque mater ne per indulgentiam
Se inhonestet et corrumpat ipsum filium.
Vos quoque, scholastici greges, intendite
Vestris et auscultate praeceptoribus;
Ne post rebellionem et alia pluria
Flagitia tandem crucibus adnectamini.
Vestrum proinde quisquis oblectatus est
Musis faveto gregique nostro plaudito.

FINIS.

Posterioris editionis mutationes et additamenta.

In posteriore Petrisci editione, quae una cum reliquis Macropedii fabulis (excepta Iesu Scholastico) Ultraiecti apud Harmannum Borculoum prodiit anno 1553 nonnulla invenimus mutata. Cabiscus et Stypiscus nunc appellantur Argyroclopus et Meloclopus (quae nomina tamen iis non satis constant, nam interdum permutantur, ita ut Cabiscus Meloclopus, Stypiscus Argyroclopus sit). Hinc factum est ut complures versus leves immutationes habuerint. Omissa est narratio Sycastae de Cabisci et Stypisci rebus gestis 906—954, in cuius locum subierunt scaenae tres; priores duae, quae fructuum furtum et Megaerae iram exhibent, inter duas partes versus 863, tertia ubi Megaera rem defert apud Praetorem post versum 1044. Videtur Macropedius reputasse demissa per aurem segnius irritare spectatorum animos et post Argyroclopi praeclarum facinus Meloclopo simile quid patrandum esse; cuius tamen furtum post multo maiorem Argyroclopi rapinam languidum videtur et suffrigidum.

Omnia autem quae in posteriore editione mutata vel addita sunt hic adscripsimus.

Argum. 5 aureos decem. Petr. 14 suorum liberum 109 hoc pro 148 ad alia 163 praeter dolum et 164 mendacium, quae 182 cum vagantibus est ei communio 183 Profecto 191 Tu neutiquam 209 Sodalibus meis duobus tradidi. Inter 209 et 210 inseritur versiculus hic: Did. Ultro? Petr. Ultro. Did. Quis? Petr. Meloclopo et Argyroclopo 211 pluria 307 profugeris

310 Mel. Argyroclope. 324 nisi ego 325 Si patrem non audias 327 aversamini et 329 Et pium et honestum et aequum et utile? Non pudet 330 Pigetque vos? ulciscentur 387 tutumet 404 hactenus vel alteri nemo tribuit 433 an ephebe 441 numera potius ephebe 454 salutis 464 data est nobis 467 prudentissimam 488 Philoeniam 555 plus minus decem abstuli 728 O meloclope 753 Decem video vel undecim 756 Argyroclope 808 Iamiam Argyroclope curre 813 Argyroclope 832 'Αργυροκλόπου 835 Quem tu mihi ἀργυρόκλωπα? Quid ridetis? Petr. οὐ νοεῖ κλοπήν 836 Quaenam Clopa est? 837 Clopost? Philochr. Abi hinc quadrate.

Post verbum revincere 863 inseruntur duae scaenae VI et VII, unde fit ut novae editionis scaena VIII eadem sit atque prioris scaena VI.

Scaena VI.

Meloclopus. Argyroclopus. Megera.

Argyroclope, nunc argentum habes;
Quid si meo modo acquiescas suasui,
Quo illec Megera, quae suos (viden?) advehit
Fructus recentes, valeat implanarier?
Arg. Quonam dolo, Meloclope, quave industria?
Mel. Primum omnium nostra alteremus nomina.
Arg. Factum puta; tu Simplus esto, ego Duplex ero.
Quid, Simple, postea? Mel. Tibi, Duple, suggeram.
Licere mala primulum, deinde ubi
Tibi numeraverit mihive plurima,
Pro crassiore argenteo ostenso voles
Tibi monetas publicas numerarier.
Quas ubi dedicit te ocyssime in pedes dabis.
Mox ego (sequente te Megera) amplissimas
Stipabo manicas has sinusque vestium
Sollerter optimis quibusque fructibus
Et in angiporto te morabor proximo.
Arg. Sat est; probe teneo modum quem suggeris.
Mel. Itaque probe exequamur; ipsa enim suas
Megera merces ordinat, blande canit,
Nondum furit, nullusque presto est arbiter
Nec alius emptor; erimus acceptissimi,
Invitat ultro. Meg. Heus, heus, adeste iuvenculi,
Parva emite mala odora, mitia, dulcia

Aliosque fructus optimos pecunia.
Arg. Quin exequamur? Insignis en Ioachimus hic;
Fallet megerae lumina cupidissima.
Meg. Adeste! Quid moramini, aut veremini?
Mel. Videt pecuniam; ilicet; modo commodum!
Arg. Ave Megera! Meg. Avete vos quoque! Unde tu
Me nosti? Arg. Apud Proserpinam te vidimus,
Cuius videris utrique nostrum filia.
Meg. Hahahae! Videre tu mihi nequissimus.
Quo nomine appellabo te vel alterum?
Arg. Hic Simplus, ego Duplus vocor. Meg. Rectissime.
Quid Duple emes? delectus est pulcherrimus;
En poma citra, persica atque medica,
En pyra volema, coctana et nostratia.
Arg. Quanti simul tibi omnia istec veneunt?
Meg. Sex omnia haec sestertiis venundabo.
Arg. Dabo quinque; manicis his meis simul indito. Meg. Hem!
Nil Simplus hic empturus est socius tuus?
Arg. Nescio equidem; simplicior est quam aliquid emat.
Meg. Nulli duplex ero, tametsi simplici.
Parvi (si emat) venundabo. Tu mercem habes,
Iam solve. Arg. Solvam et pro sodali, cum mihi
Sestertios pro argenteo hoc numeraveris.
Meg. Ioachimus est; videbo num tot habuero
Sestertios; numerato tu. Arg. Hem! Meg. Iam quinque habes.
Arg. Iam quinque, iam decem, cito! Meg. Hem! Arg. Iam quindecim,
Iam quindecim. Meg. Iam bis decem, nebulo! Arg. Hahahae!
Meg. Hem, quinque adhuc; reliquum meumst. Arg. Quinque addito,
Quo commode hoc pro simplici solvam duplex.
Meg. Accipe duplex hos quinque adhuc. Simplex quid hic
Empturus est? Mel. Quod hic voluerit solvere.
Arg. Solvam unicum sestertium. Tu delige.
Mel. Minime, sed ipsa det mihi. Meg. Hem! Arg. Quis me vocat?
Mel. Nescio. Meg. Quo abis? Heus tu, mihi Ioachimum adhuc
Non tradidisti, sed meas merces mihi et
Sestertia triginta abstulisti subdole.
Mel. Sequere, fugit! Meg. Non sic tamen me effugerit!
Serva, puer, bellaria haec. Sta, fur fugax!
Mel. Servabo (ut inquit) et κλοπήσω singula.
O Mercuri, suffecerint bellaria
Haec in dierum hebdomadas ampliter duas!
Recte suis Megera rebus consulit,
Curanda quod sua mala Meloclopo dedit.

Iam sat probe suffarcinatus me ocyus
(Si sapio) in hunc recipio vicum dexterum,
Quod in sinistro iam furentis maxime
Strepitum Megerae exaudiam.

Scaena VII.

MEGERA sola.

Simplex puer . . . .
Ubi Simplus est? ubi reliqua sunt bellaria?
Simplus duplex (ut suspicor) ea surpuit.
O, utinam et hunc dolosum et illum stringerem,
Quo unguibus eos et dentibus discerpam, ad haec
Carnes cruentas devorem! Siqua mala
Vel hactenus dixere de scholasticis,
Dicuntve nunc, vel postea dicturi erunt,
Ego pessima loquor per Iovem et subscribo eis.
Furens relicta rheda adibo praesidem,
Ut conquerar super irrogata iniuria.
Hoc ganeum scholasticum gregem enutrit,
Et prorsus execrandus est praeceptor is,
Qui hos tenebricones non flagellat indies.

---

863 (novae editionis 949) Quid habet Megera? Assunt amiculi 864 pater patriam 876 dic serio mi amice 890 Meloclopi atque Argyroclopi de fraudibus 892 proruens 901 tibi proditum de Meloclopo et Argyroclopo? 905 Qui vina, carnes, mala, pyra dolo auferunt; 903—954 in nova editione omittuntur. Inter 955 et 956 inseritur versiculus hic: Sed et Megerae praeter aes bellaria 957 nostra tibi, 987 actum, 989 ut autumo 990 simul 1013 quos mihi Clopos, quas mihi Clopasve ludens 1015 Hinc longius ne abito; abi. SAT. Per Herculem, Argyroclopus hic 1016 Est, alter et Meloclopus 1017 erant Sycasta deferente 1018—1019 omittuntur; post 1044 inseritur scaena haec:

Scaena XII.

MEGERA. PRAETOR. SATELLITES tres.

Heus, praetor, heus! PRAET. Quid sibi Megera nunc volet?
MEG. Horum duos experta sum nequissimos

Furesque versutissimos. PRAET. Quosnam duos?
MEG. Simplum Duplumque. PR. Nullus est, qui vel Duplus
Vel Simplus appellatur. At, Megera, quid
Furti patrarunt? Num tibi mala aut pyra
Dolo involarunt? aut quid est similis rei?
MEG. Pyra, poma, multa et id genus bellaria, et,
Quod maximum, meam ipsius pecuniam.
PR. Etiam tuam pecuniam? MEG. Pecuniam,
Nequissimi! Suspende eos cum tertio,
Quem et ipsa dudum comperi nequissimum.
SAT. Latet hic dolus; nam sunt iidem, et nomina
Astu sua invertere, ne cito quispiam
Se deprehendat noxios. PR. Considero.
Nos sequere cum sene rustico in Praetorium,
Quo latius causae modumque et ordinem
Mihi explices et recipias pecuniam.
MEG. Pecuniam si recipiam furta reliqua
Aequanimius toleravero, modo laqueo
Videro necatos facere longas litteras.

1192 Meloclopum et Argyroclopum 1212 agit 1312 ἄλις λέγων 1362 iamiam sat est gratatum.

Annotationes ad Petriscum.

Argum. 4. *Pater hunc magistro accusat;* de hac verbi accusandi constructione vide pg. 82.

Arg. 5. *aureos quindecim* — in posteriore editione (propter metrum puto) decem.

Ad personarum nomina. *Petrisci* nomen quod etiam in epistola quae huic dissertationi adiecta est, invenimus ponitur pro quolibet discopulo; cf. etiam exempla pg. 8. *Cabiscus* et *Stypiscus* unde deriventur mihi non constat. Apud Suidam tamen est κάβαξ = πανοῦργος, et in vetere glossario invenimus στῦπος = stips, quod etsi pro stipite hoc loco poni videtur Macrop. fortasse alia significatione adhibet, ut sit *Stypiscus* = qui stipem colligit, ut scholastici pauperiores illis temporibus facere solebant, cf. praef. in Prosoediam pg. 6. De reliquis nominibus vide pg. 96—98.

6. De hoc exercitio cf. pg. 10 — 11.

9. *Vetentve castigarier* — M. parentes magnopere adhortari solet ne magistros utili et necessaria castigatione pueros afficere prohibeant Suae aetatis patribus exemplum proponit Eumenium, Asoti patrem, quem ita facit dicentem: Asot. 159 sqq.

Non crebra, non pia defuit monitio, nec
Omissa castigatio est. Nam eosdem ob hoc
Et paedagogo tradidi, neque corrigi
Unquam vetabam. At ineptias fugarier
Virgis volebam, et acrioribus flagris
Lubricam indolem nequitia abacta corrigi.

10. *mulierculae* — vid. pg. 120.

13. Cf. Reb. 949. Matres, proin
Cavete, ne vestram per indulgentiam
Vestri insolescant liberi ob licentiam.

14. *prolium* — vid. pg. 136.

26. *primiter* — vid. pg. 59.

28. *dicerent quod* — vid. pg. 69, 70.

31. *Aedat* — vid. pg. 138.

34. Quis fuerit poeta qui Heliconi sibi nomen indiderit nescimus.

36. *comicus* — vid. pg. 95.

40. De *obtrectatoribus* sive „Zoilis" ut illis temporibus dicebant, quos alii eius aetatis scriptores perpetuo in ore habere solent, Macr. quoque quamquam natura neque pugnaci neque iracunda, semel et iterum loquitur. Cf. epist. dedic. quae praecedit Hecastum: „Et siquidem eam probaveris (id quod futurum spero) candidis communica, et a Zoilorum dentibus (modo citra contentionem fieri possit) subinde vindica". Epist. ded. in Adamum: „Adamum hanc nostram . . . . e malevolorum dentibus vindicatam cuivis typographorum excudendam trade".

43. *siet* — Vid. pg. 45.

46. *fabulis* — Cf. locum Adami pg. 101.

48. *aureis* — vid. pg. 54.

53. *Identidem* = itidem vide pg. 73.

55. Sollemne est in prologi fine spectatores ut taciti auscultent admonere. Nonnunquam in initio quoque hoc fieri ostendit Adam. 3 sqq.

> Oratque vos grex noster omnis comicus,
> Et author huius exhibendae fabulae,
> Ut stetis arrectis (quod aiunt) auribus
> Et mentibus, sub fabula sine fabulis.

56 — vid. pg. 103.

59, 60. *mandavero*, *ablegavero*, De fut. exact. vide pag. 50—53.

63. *ultro* = noli expectare dum te ire cogam et abstine quaestionibus inutilibus. Saepius hoc adverbio utitur M. Asot. 537 (Iuvenis lubricus) raptatur ultro quolibet, 956 quaesitus ultro et accitus sum; Reb. 531 is mihi ultro conveniendus est Al. 117 aves obtrudit ultro singulis; 357 Iuravi et ultro tibi probe perfecero Andr. 152 quin ultro Porna prospicit; 558 oblita alterius ultro sordibus Bass. 222 Praeses ultro se ingerit Laz. 1084 haec pellamus ultro taedia; Hec. 235 moveamus ultro taedia 670 Te

rapuerint hinc ultro angeli. 937 Sic fallitis ultro patrem vobis benignum? cet.

68. *pareto, abi* — vid. pg. 53.

69. *adesdum* — vid. pg. 55.

71. *putasne vera sunt* vide pag. 69.

72. *Suggesseras* — saepissime hoc verbo utitur Macr. E multis exemplis afferimus haec. Reb. 228 Quid facto opust? modo suggere. Bass. 975 Has ipse praeside suggerente sustuli. Laz. 615 Haec te pater coelestis haud docet, at caro Tibi suggerit Ios. 1453 Nam te Parho Me suggerente iussit accersirier. Adam 2655 Prior ipse Adamus ob scelus primarium Vos esse mortales ad unum suggerat; 776 Quid vina amice Daemones mihi suggeris? 1104 Neque ullus est ex omnibus charis meis, Qui verbulum solatii mihi suggerat. 1170 spem praesidiaque suggerit cf. Petr. 99, 259, 895, 958, 8ˣ, 18ˣ.

73. *gnatum* — vid. pg. 54.

74. *ut quem post tua* cet. Plautina est haec cogitatio, cf. Cas. 333 sqq.

85. *Audaculus* vide pag. 119, 125.

85, 86. *Desinat* — *impingeret.* M. in talibus praes. coni. et impf. promiscue utitur; vide pg. 81.

89. *eruit* — eruendi verbum, quod in Vulgata saepe invenitur frequenter admodum usurpat Macr. cf. 747, 766, 1146, 1229. Asot. 20 mysterium eruere; Reb. arg. 7 Praeda Satanum faucibus eruta; 132ˣ eruis mentem e baratro Bass. 582 nucibusque fractis nucleos Eruam ut edam Laz. 1167 Ut metu mortis celer eruas me Ios. 746 Qui me eruisti de manu fratrum meorum 1111 hac (eum) eruam custodia 1116 is eruendus est 1124 carceris erutum squaloribus; Hyp. ep. ded. (fabulam) scrinio erutam Epist. 67 eruendos praecipit scriptura insontes, cet.

92. *Subducere ratiunculum* cf. pag. 30.

94. *vidi quod subduxerit* — vid. pg. 69—71.

104. *interim* = interdum alio loco apud M. non inveni.
versarier — de Infinitivis in — ier desinentibus vid. pag. 46—50.

107. vid. pg. 40.

109. de adi. *vesperus* vid. pg. 72.

110. Ut senes apud comicos veteres ita Galenus se *rus abiturum* pronuntiat.

116. Ex veterum comicorum exemplo apud Macrop. quoque mariti saepe de uxorum moribus queruntur, cf. 602, 693—696. Alia exempla sunt: Andr. 299.

Quid dulce ei domi cui uxor amara sit?
Nullum suave obsonium, si condiat
Mulier proterviae suae condimine.
Bass. 377. Futile est per Herculem
Genus omne feminarum, inane, pertinax, proterviens.

Boni Potipharis uxorem non modo lascivam et libidinosam sed etiam imperiosam esse ostendunt hi loci: Ios. 58 (Potiphar, in castra profecturus loquitur).

Quam modo (licet mandata regis urgeant)
Tamen relinquere insalutatam domi
Nec debeo, nec audeo, nisi perpeti
Litem, odium et indignationem mavelim.

Recte de tali matrimonii conditione iudicat Desmophylax. Ios. 1127 sqq.

Verum timet suam procacem coniugem,
Cuius veretur obviare iussibus.
Proh pudor, ut est haec servitus foedissima,
Exercitus ut imperator regii
Plus hostibus domi timeat uxorculam.
Non is mihi liber videtur, cui imperat,
Iubet, vetat muliercula id quod sibi libet,
Cuique imperanti nil negat. Nam dandum erit
Si postulet, veniendum erit si accersiat,
Si eiiciat exeundum erit, si irata sit
Timendum erit, si servulorum quemlibet
Exosum habeat, in hunc (licet sit innocens)
Nolit velit cogatur animadvertere.

Muliere mala peius esse nihil in rerum natura docet Reb. 472.

Nihil est profecto saevius,
Nihil impudentius, nihil
Magis improbum muliere mala
Si occasionem nacta sit.
Ignis, mare, fera belua
Tria mala sunt, at peior his
Mulier, sed et nocentior,
Si conferas, cacodaemone.

Quantam viro calamitatem afferat stulta uxor discimus Aluta 486.

Nil gravius est viro bono
Quam habere stultam coniugem,
Cum illi foris et in aedibus
Sit usque pestis maxima.
  Haec derogat famae viri,
Corrumpit omnem familiam,
Rem dissipat domesticam,
Praesertim ubi sapere se putat.
  Duxisse praestat efferam,
Pigram, superbam aut invidam
Quam stolidam et amentem, rei
Cui nulla cura domesticae.

Tenacitatis saepius uxores a maritis accusantur.

Hec. 154 sqq. Ut hoc genus
Muliercularum illiberale est et tenax!

Bass. 513 Detestor ego tenacitatem in muliere,
Quae ingenita eidem non potest evellier.

Laz. 266. LAEM. Res mihi fuit cum uxorcula. DAEM. Quid ita? LAEM. Quod ad
Rem aliquanto avidior est. DAEM. Id ingenium omnibus
Est insitum mulierculis.

De herae suae sordibus et inhumanitate etiam servi queruntur: Laz. 492 (loquitur Cynopa servus).

Res admodum morosa mulier in aedibus, cui nihil
Fieri potest quin improbet, perpetuo amara et aspera,
Quae vix sinit pane atro et atro caseo ientarier.
Hero meo malim domi inservire centies quam huic semel.

Hec. 234 (DAETRUS) Tenacitas mehercule mulieri
Sordesque natura insita, haud ullo queunt
Respectu honoris vellier.

Atque omnino quin praestet vir mulieri minime dubitat Macr. Andr. 796.

Ut concinunt concorditer
Sacrae et prophanae literae,
Ut mensque sana iudicat,
Vir est muliere dignior.

Non est tamen quod putemus eum mulieres tam vehementer odisse, quas omnes eius aequales suaviter ridere solebant; neque enim Latine

sciebant et spectatores erant viri. (Cf. Geiger, Renaissance und Humanismus pg. 368 Ausser den Geistlichen werden von den Satirikern jener Zeit besonders gern Weiber und Bauern getadelt).

117. *eccum* — de usu huius vocabuli vid. pg. 55.

126. *identidem* — vid. ad 53.

129. Simili metaphora utitur magister in Reb. 776 Ibo vobiscum atque oves veluti meas Quaeram vagabundas.

137. *latet* — de Indic. vid. pg. 56.

140. *Eapte* — vid. pg. 54.

148. *festinem* — de coniunct. v. pg. 79.

155. cf. Reb. 371 Adusque effusionem sanguinis Lacerata cuticula est.

172. *dictum oportuit* — v. pg. 56.

176. *absque* — In Syntaxeos praeceptis legimus haec: „Sine et absque eandem significationem negativam et separativam habent, ut Absque me aut sine me nihil potestis facere." Itaque his praepositionibus promiscue utitur M.; tamen *absque* saepius adhibet. cf. 54, 177, 812, 981, 1105. Laz. 362 Non *absque* fruge loquimur (357 Quousque tandem *sine* fruge disputabitis?) Asot. 70 *absque* dolore 1175 haud *absque* poenitudine 1237 Nulla *absque* te domi voluptas est, neque *Sine* te aliquod est solatium 1384 dic *absque* hypocrisi, quid est? 1790 Se excruciat *absque* necessitate Reb. 110 *absque* consilio 178 *absque* verbere 179 *sine* verbere 367 haud *absque* me, 497 *absque* Venere Al. 436 non *absque* causa 567 Profecto is *absque* fruge spectator fuit Andr. 275 *absque* ope 833 Sit rigidus *absque* tyrannide, sit mitis *absque* ignavia 1106 *absque* gloria 1181 Vicinus huc properat, sed *absque* coniuge Bass. 416 haud *absque* causa 794 *absque* furti crimine Laz. 82 Heus, heus, adeste, qui ocio, qui fabulis Totum *absque* herili commodo teritis diem 286 *absque* iniuria 777 *absque* duce 913 Ingredere, ne primi *absque* te consederint 952 *absque* cantu, 1240. *Absque* pompa et *absque* honore funeris.

Ios. 1572. Deus *absque* me ostendit Parhoni somnia,
Per me Deus regi aperiet mysteria,
Sine me Deus dabit Parhoni prospera.

Adam 1180 *absque* peccato 2653 Ne prorsus *absque* fruge nobis acta sit Hec. 78 State igitur *absque* turbidis clamoribus 516 *absque* mora 617 Stas mutus *absque* mente, voce et sensibus

2009 *absque* pompa inutili. — In Epistolica saepe invenitur *citra*, praef. *citra* barbariem, 40 *c.* controversiam 43 *c.* taedium 56 *c.* adulationem 57 *citra* praeceptum et *absque* paradigmate 59 *c.* dolum malum 65 *citra* obiurgatione et *absque* stomacho 66 *c.* proprium commodum cet.

180. *abivero* — composita verbi eundi aqud M. in perfectis saepe *v* retinent cf. 480 subivi 561 transivit.

182. *convivio* — mendosum videtur pro *communio*, quod habet edit. posterior.

184. *Quid vult?* = Quid nunc futurum est? vide ad 766.

201. *caeditor* — vide pg. 54.

212. *miserere caeso* — *misereor* apud Macr. saepe habet Dat. Reb. 763 miserere nobis Laz. 991 Nam foeneraberis Deo si pauperi misereberis Ios. 566 Hora erit cum te velis mihi misertum 907 miserere innoxio 1944 miserere perditis. Cf. versiculum in Syntaxeos praeceptis: Dic miserere mei vel mi, auxilior dominorque.
amodo — de hoc adverb. vide pg. 72, 73.

227. *concessero* = ibo vobiscum, sequar vos, cf. 418 vide pg. 86.

228. *te morabimur* vide ad 850.

232. sqq. cf. Reb. 329 Quos eiulatus audio Foris? et q. s.

237. cf. Reb. 402 An non puduit in filios nostros te ita *Baccharier*?

245. *accusaverat me criminis* — Quamquam apud M. *crimen* poni solet pro culpa, delicto, tamen accusare alqm. *criminis* hoc tantum loco inveni. Cf. tamen Ios. 1174 arguere alqm. criminis.

249. *arguit* — Hoc verbum, quod in Vulgata saepe legitur M. saepius usurpat quam *accusare*; fortasse metri causa.

251. *Sed et* — non praecedente *non modo* (ἀλλὰ καί) saepe invenitur in Vulgata, quam in hoc sequi videtur M. cf. Asot. 364 Latronum et insidias pavet, Sed et frequenter incidit.

679. Nutant gradus, artus tremunt, pallent genae,
Sed et pavor subitariam urinam exciet.
1682. Mi Asote, fili mi, remitto quicquid in me admiseris,
Sed et amodo omnium tuorum criminum non meminero.

Hec. 1291. Hunc destitutum viribus, sed et omnium
Mortalium solatio, miserata sum.

Eodem modo *sed nec* Hec. 721.

253. *saeviter* – vid. pag. 59.

261. *sategero* — *Satagere* = sedulo operam dare saepe habet M. Plerumque in imperat. Asot. 1322.

Faciam lubens; ibo, redibo ocyssime.
Satage; intus est quod interim peregero.

Andr. 64 Tu *satage*, ne qua sit mihi Mora prandii cum rediero. Bass. 62 vos Privare honesto munere *egerunt satis* Laz. 165 iube Vernis tuis rerum *satagere*; 185 *Satagite* 385 *satage*. Cum inf. Laz. 506 Nos itaque herus quod iusserat tibi *satagamus* exequi. Ios. arg. 7 recusantem in carcerem *sategit* iniici cet.

278. *Heli* – vide Regum I, 3—4.

282. vide Regum II, 13.

285. *redarguit* — *Redarguere* = reprehendere frequenter a. M. usurpatur. Andr. 316 districtius redarguam 660 mordacius cauponis impudentiam redargui 764 Tum bile motus increpo, redarguo Ios. 62 nostram moram redarguet 996 si absentiam dure meam redarguat. Epistol. 76 redargutus, redargutio.

288. *nocturna proelia* – cf. Propert. 2, 1, 45.

293. *Fortassis* – vid. pag. 55.

313. *Aristarchum* – Reb. 101, 161 ludimagister Aristippus vocatur; Petr. 580 maritus Chrysippus.

324. *carnifex* – similes magistri minationes Reb. 415, 438.

329. locos apud rhetoricos notos enumerat. Cf. 623.

347. sqq. – cum hoc loco cf. Reb. 397 sqq.

350. Trux, carnifex – cf. Reb. 328 Valeat Aristippus senex, trux, carnifex Asot. 450 Sed iam revortit huc malicia praeditus Trux, carnifex.

376. De discipulorum illius saeculi moribus cf. Geiger l. l. 412–414, et epistulam Aeneae Sylvii apud Burckhardt l. l. pag. 110, qui de Viennensi gymnasio scribit haec: „Ceterum studentes ipsi voluptati operam dant, vini cibique avidi. Pauci emergunt docti, neque sub censura tenentur, die noctuque vagantur, magnasque civibus molestias inferunt. Ad haec mulierum procacitas mentes eorum alienat".

390. Vide pg. 133.

394. sq. — cf. Reb. 437. Ego corrigendum acceperam,
Non enecandum, at patibulo abstrahendum.
Ut hic scelestus usque patibulum!

396. *caedamus*, 399 *cedamus*. In prima editione utrobique scribitur *caedamus*, in ea quae Coloniae apud Ioannem Gymnicum prodiit *ce*damus; Utroque modo verborum lusus obscuratur.

404. Hoc loco recepi correctionem editionis posterioris; in priore legitur: „hactenus quidem utrique nullus credidit".

407. Cf. 360.

418. *Concedimus* — cf. 227 vid. pg. 86.

419. vide pg. 31.

424. *Vice savii* — cf. Andr. 1108, ubi Andrisca marito primum ictum infligit cum his verbis: „Salutat osculo hoc Te Andrisca primulum!"

425. *mastyge* — vid. pg. 95.

427. *phylacae adducier* — vid. pg. 76.

428. *irrogaverint* — videtur hoc loco significare *commiserint*, quo sensu hoc verbum alibi non inveni. Pro *exprobrare* legitur Asot. 140 Nam quod familiae est irrogatur patribus.

436. *modo-amodo* — vid. pg. 73.

441. *Cessare* apud M. saepius etiam sine negatione = desinere; in hoc quoque cum Vulgatae usu congruit (Luc. 5, 4 ut cessavit loqui). Andr. 459 ne qui tener corrumpitur Cessare adultus non queat. Ios. 1229.

Art. O rex tremende, meam mihi vitam obsecro . . . .
Parh. Cessa!

Ad. 178 Mactetur invisum caput, cessetque me
Sacrificio superare vel contemnere.

450. vid. pg. 33.

453. *perduat* — vid. pg. 46

455. *ulmeum ferculum* — vid. pg. 41.

460. *inunxero* — cf. 458. Alia metaphora hoc verbum iocose usurpat Andr. 863 Eamus intro hanc perduellem inungere Vino optimo.

485. Sic etiam Andrisca die festo domi manere recusat:

Andr 150. Iam nonne Bacchanalia?
Quis sese in aedibus teneat, aut suo animo haud
Obtemperet?

486. *Feriaene publicae?* = nonne feriae publicae? Cf. 331 similesne = nonne similes; Andr. 873 In hunc ne sceleratum gregem animadvortero? Reb. 652. Reclamitemne vos, qui totam mihi abstulistis istam telam?

490. *Voles* — futurum metri causa usurpatum videtur cf. Hec. 429. Prodire me foras iubebas, hera? Quid exigi voles?

495. *claudenda claudito* — vid. pg. 103—104.

512. *prophanus* — de scriptura vide pg. 138.

523. *tum geminatum* amat M. Ex multis exemplis affero tantum hoc: Adam 762:

Tum nostram ob ignorantiam, *tum* nostram ob impotentiam,
Tum mentis ex protervia cuncti subinde offendimus.

526. Prov. 22, 15 Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinae fugabit eam.

530. Prov. 23, 14. Tu virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis.

535. *quo* vid. pg. 81.

545. Cf. querelas Cynopae Laz. 492 sqq., quae citantur pg. 209.

546. *Compita* apud veteres comicos non memorantur, a M. saepius: Asot. 909 abductus siet per *compita* omnia ac fora 1070 Ponamus undique laqueos, In ganeis, in *compitis*, In oenopolio, in foro. 1221. Sed eccum eum Quem in *compitis* et ganeis quaesivimus Reb. 692 Abiere laevo tramite Per *compita* atque devia. Vide porro Aluta 100, Petr. 546, 738, 1128. Minus aptum videtur Hec. 285. Vernis coronemus caput Per omne pratum et *compitum* Rosis, priusquam marceant! Ut nostris sic Macropedii temporibus pueri parvorum oppidorum vel pagorum in compitis alea ludere solebant. Reb. 167.

Dys. Salvus esto Clopice! Num
Favit tibi fortuna laeta in *compito?*
Clop. Fortuna? Pereat ipsa et eius complices!
Loculos enim, cultros stilosque perdidi.

549. Locutio proverbialis cf. epist. 65. „Etiam si ipsam Fortunam (quod aiunt) captivam abduxisset, non potuisset haec omnia simul corradere".

612. percussus *est*, fec*erit* vide pg. 56.

630. De talibus versibus vide pg. 106.

637. *modo pergis* — de Indicativo cf. locum Adami, laudatum pg. 80.

645. *Fumosa domus est* — vide Bolte, introductio in Rebelles IX, 1; cf. Plaut. Mostell. 891 Oculi dolent. — Cur? — *Quia fumus molestus est.*

655. *miror quod* — vide pg. 70.

656. *ligna virentia* — scil. fustes cf. 672 vel virentia verbera cf. 586.

663. *poclis* — syncopes exempla apud M. invenimus satis multa. As. 688 *teglas* 865 *prostiblum* 1555 *neblones*, Reb. 430 *muliercla* 598 *fercla* 834 *spectacla* 869 *iuvencli*, Al. 38 *fercla* 366 *retiaclo*, Petr. 489 *matercla* 847 *misertus* 1113 *singla*, Andr. 271 *periclo* 628 *reposta*, Ios. 566 *misertum*, 1440 *poclo*, Adam 511 *saecla* 994 *oracla*, Hec. 73 *oclos*, Hyp. 164 *tabernaclo.*

674. cf. Andr. 129 (de ira uxoris) Tonitru imminens ipse excipito.

704. *exiluerit* cf. Al. 286 Quin Bromius adsilit?

715. Prov. 23, 29, 30. Cui vae? cuius patri vae? cui rixae? . . . . nonne his qui commorantur in vino et student poculis epotandis?

753. *celarier patri* — vide pg. 82.

761. *comiter*, moll*iter*, dulc*iter* — vid. pg. 105.

766. *Quid vult erui?* — Puculiaria haec structura invenitur etiam Asot. 234 Quid vult συλλεῖσθαι? Asot. 580, Andr. 707 Quid volt dari? Reb. 522 curarier quid vult? 640 Quid vult videri? Al. 185 quid vult agi?

768. — *falernum* vinum etiam commemoratur Andr. 1188 (1183 dulcia mihi Bibenda vina exotica). Bass. 196 In aquamque frigidam falernum mergito.

769. *bellos agamus homunculos* — vide pg. 116.

783. *stupide stupidum* — vide pg. 103.

798. *accedito* — vid. pg. 53.

814. cf. Reb. 721 move, move celeres pedes, o Pompe!

817. *Philippum* — Philippus vel philippeus (770) aureus notum nummi nomen apud comicos veteres. Etiam simpliciter ***aureus*** vocatur Reb. 484, Petr. arg. 5, Laz. 177 et aliis locis; vel ***solidus*** (aureus) Petr. 107 Hec. 205. Alia nummorum nomina apud M. inveniuntur haec: *obolus* Reb. 254, Petr. 389. ***sestertius*** Petr. 40$^{\times}$, 47$^{\times}$, 49$^{\times}$ Al. 205 B. 163 *denarius* Asot. 1320 ***as*** Al. 209 ***quadrans*** Petr. 1180 *teruncius* Reb. 254, Al. 210. ***Ioachimus*** Petr. 48$^{\times}$, 58$^{\times}$. *Marca* Bass. 138. Cf. Epist. pg. 106. „Nam tritici modius mensurae nostrae vaenit duobus ***Philippeis***, Siliginis duobus *Carolinis*, Hordei uno *Carolino*, Havenae quindecim ***sestertiis***, Congius vini rhenani mensurae nostrae quatuor ***sestertiis***, Hesperii seu hispanici quod Rhomanicum vocant tribus.

822. *mendicabulum* — hoc vocabulum quod apud Plautum invenitur (Aul. 703) et postea ab Appul. revocatum est, apud veteres non mendicitatem sed mendicum significat.

826. *Occīdi, occĭdi* — Eiusmodi iocos scholasticos non multos habet M. cf. Andr. 557 sqq.

Quam indigna res, ut *oblĭta*
Alterius ultro sordibus,
Oblīta honoris publici
Cunctis pateat ostentui.

Hyp. 840. In omnibus tibi *consule*
Catos virosque *consule*.

827. *quia* = *cum* alibi non inveni.
ibi = *illic* vel *hic* Andr. 326 *ibi* panis est, *ibi* caseus.

831. *surpuit* — vid. pg. 45.

840. *ad corvos* — vide pg. 44 not.

845. Quam venales fuerint iudices Macropedii temporibus docet Fruin, Tien Jaren, Ed. 1861 pg. 50, nota: „En die goede regtsbedeeling (circa annum 1585) was te lofwaardiger, omdat onder de Oostenrijksche heerschappij het regtswezen in de Nederlanden al zeer laag had gestaan. Alva schreef in 1573 aan Philips . . . . . il n'est aucune cause, civile ou criminelle, qui ne se vende comme l'on vend la viande à la boucherie, et beaucoup même sont vendues à l'encan, et la plupart des conseillers, sinon tous, se donnent journellement à qui veut les acheter". Gachard, Corresp. de Phil. II, t. II, pg. 348.

850. Ebrietas non cadit in Galeni personam, sed talia ad spectatorum delectationem finguntur.

amiculos morabimur — *Morari* apud M. saepe idem est atque *opperiri, exspectare*, cf. 228, 1160, 1219, 17[illegible]. Asot. 343 nos te domi morabimur 556 te moratus in ostio 574 domi tuae morantur te 927 moratur hunc pater 1239 te, ocelle, iamdudum moramur 1474 morabur paululum tardum senem Al. arg. 6. Frustra morata debitam pecuniam Andr. 510 morabor hunc dum venerit 1010 Quid nunc morabor? 1074 Andrisca, iamdudum moror te Bass. 111 Tacitus morabor hominem 488 morabor aniculam Laz. 514 Sed te morati te sequemur praevium 589 morabor gratiam 895 Rosam meam vides morantem 1285 me dixero Cynopen hic foris morari. Adam 70 nequis *moretur* in hisce ludis lasciviam 402 necem moraberis Hec. 384 Sed hactenus Daetrum morati ipsum sequemur praevium 1520 Quoadusque te morabor, improba bestia? Laz. 1393 sqq.

Vos qui adfuistis ludicris, ne state, sed
(Si me audiatis) amodo neque coniugem,
Neque liberos, neque gastrimargum ab inferis
Hodie reversuros domum *moramini*.

857. vide pg. 69.

868. cf. Arg. 4 et vide pg. 82.

880. *implanatum* — vid. pg. 67, 68.

898. Hac metaphora aliquoties utitur M. cf. Reb. 879 Si praestitisses te vafrum Istae ferae pulposulae non excidissent cassibus Asot. 516 Nunc incidit fera ultima in casses meos Andr. 1187 In cassibus meis lupus prehensus.

904. hic versiculus etiam in posteriore editione defectivus est.

936. *artocreas* — vide pg. 94.

949. *famentibus* — vide pg. 74.

962. *se retrudunt* — vid. pg. 91.

996. In puero describendo veteres comicos imitatur.

1004. *intulit probe* — cf. Asot. 540 *bene intulit* profecto.

1016. *heros* — hoc nomine vocantur magistratus et cives nobiliores. Bass. 435 (ad praesidem) Huc, huc ades, ne praeteri, heros. Hec. 372 (ad Dei legatum) mi heros. Petr. 1042 mores heroicos. Epist. 31 tum heroum, tum civium aedeis.

1032. *timeo non queant* — vid. pg. 80.

1054. *Quaeque* = omnia; eodem modo *quique* Laz. 929 Sedere quique ut prandeant modo sympotae.

1055. *obstrepens* cf. 222, 1033. *Obstrepere* apud M. saepe de discipulis et aliis dicitur pro obloqui cf. Asot. 456 cavesis amodo mihi verbulo aut nutu obstrepas 1195 qui enutrierunt obstrepentes liberos 1563 ne obstrepat verbo aut ioco vano Reb. 7 tuis obstrepens didascalis Bass. 107 Quod obstrepat semper mihi atque obganniat Hec. 1058 Ne offensus mihi obstrepat. Obstreperus = clamosus Laz. 1077 Obstreperus hic nobis molestus Lazarus. I. S. 966 quid adeo Iuste obstreperus es?

1077 sqq. Antiqua Christianis immixta persaepe apud Macropedii aequales, satis frequenter apud ipsum inveniuntur. Vide pg. 64, 65. cf. quoque Geiger l. l. 464 „Gesinnungslosigkeit und daraus entstehende Phrasenhaftigkeit verringern den moralischen Werth der religiösen Gedichte; ihr ästetischer Werth wird beeinträchtigt durch die fast in allen Gedichten hervortretende Mischung von Heiligem und Unheiligem, antikem und Christlichem Götterglauben".

1083. *nugemur foris* cf. Andr. 265 Paulum foris libet mihi dum commodum est nugarier.

1141. *semel* = *simul* aliquoties apud M. Asot. 192 Mihi credidit rem omnem semel domesticam. Epist. 63 Tanta me semel diversarum rerum oppressit calamitas.

1156. *quo* = *ut* — vide pg. 81.

1204. *animaequior sis* — vide pg. 66.

1207. vid. pg. 103.

1222. *geminas . . . unicus* — vide pg. 104.

1245. *opust* cum part. — vide pg. 56.

1248. cf. Reb. 757 Quis deus terrae polive propitium hunc nobis dabit Virum, Cacolalia?

1300. cf. Reuchlin, Scen. progymn. 322 Eamus huc, iudex tribunal occupat.

1308. cf. Rebellium versiculos pg. 77 laudatos.

1348 sqq. cf. Reb. 787 sqq.

1354. cf. Reb. 824, vid. pg. 77.

1392. cf. Al. 37–44, Andr. 1202 sqq.

Vos deinde qui venistis ad spectacula,
Quod coxeratis ite et este, nihil enim
Vobis edendum ludiones porrigent.

4×. *Valere* apud M. plane idem est atque *posse* et saepe etiam cum infin. pass. coniungitur. Exempla: Asot. 1517 Qui filium aspernarier valeat pater? Reb. 158 Sed ubinam eum valebimus nanciscier? Andr. 796 Nil nequius valet esse foemineo dolo. Laz. 619 Tu quisquis es nostro gregi addi non vales. 1043 iam non valet herum arguere parsimoniae Ios. 599 Nil dicier valet aequius; 939 Premi innocentia valet, at non opprimi; Hec. 40 satis facere non valens; 1158 Tentavero num valeat inducier Hyp. 296 Plus pati valuere quam infligere Epist. 32 non invenias civitatem quae huic numero cleri valeat comparari.

6× *alteremus* – hoc verbum nonnunquam apud sequioris aevi scriptores invenitur.

43×. *quam* post comparativum saepius = quam ut. Bass. 220 poena gravior est mihi quam indulgeam Gulae atque commessationibus. Ios. 1119 sqq.

Pot. Manifestiora signa sunt quam tu queas
Refellere. Desm. At factum negat constantius
Quam mihi per isthaec indicia persuadeas.

Adam 403. Iniquitas mea maior est quam mihi queat
Remittier.

Andr. 360. Θυμός μοι ἀνδρειότερός ἐστι quam feram
Vel digitulo tuo minuto tangier.

In prosa quoque oratione hoc invenimus:

Graec. Inst. Rudim. Planior est tabula quam expositione illustretur.

GEORGII MACROPEDII

Ode de Mortis Imagine.

Ode Dicolos tetrastrophos, cuius primi quique tres versus hendecasyllabi Sapphici et quartus Adonius est, DE MORTIS IMAGINE [1]), quemadmodum utriusque fortunae casibus medicatur. Autore GEORGIO MACROPEDIO.

Rebus adversis, puer, aut secundis
Si tibi mentis labefacta virtus,
Fulciet motam et solidabit ipsam
Mortis imago.

Seviat mundus Stygiaeque dirae, aut
Offerant gazam, illecebras, honores,
Urget ut spernas mininique ducas
Mortis imago.

Ingruat bellum, immineatve pestis,
Latro, fur, praedo tibi si molesti,
Suggeret cuncta haec cito transitura
Mortis imago.

---

1) Vide pg. 19.

Si hostis exurat populatus urbem
Et tuas aedes, abigatque praedam,
Suggeret multo meliora danda
Mortis imago.

Si lues charam sobolem, pudicam
Coniugem, vernas. pecudem vorarit,
Ut feras, monstrat to obiturum et ipsum
Mortis imago.

Si occupans praedo latebras viarum
Auferat merces, tunicam, vel aurum,
Haec (licet serves) peritura monstrat
Mortis imago.

Sive compilent bona cuncta fures.
Sive corrumpant tineae atque blattae,
Monstrat in caelis peritura nunquam
Mortis imago.

Laedit hic famam, nocet ille pelli,
Clanculum hic mordet, palam et ille ridet [1]),
Ferto, tergendam lachrimam inquit omnem
Mortis imago.

Quid te in adversis placidum atque fortem,
Dive Martine, ad toleranda fecit
Cuncta, te solans nisi porta vitae,
Mortis imago?

En vides, quicquid grave vel molestum
Est in hac vita, tolerandum id esse
Monstrat, ut quod sit cito desiturum,
Mortis imago.

---

[1]) Vid. pg. 34 not.

Iamque fortunae videamus ultro,
Prosperos casus ratione quanam
Temperet tristis facieque furva
Mortis imago.

Si affluat fructus, genitura opesque,
Aurum et argentum, preciosa vestis,
Cuncta linquenda haec docet ipsa nuda
Mortis imago.

Amplias aedes, coemisque fundos,
Foenere acquiris reditus tibi amplos,
Teque mox arctum trahet ad sepulchrum
Mortis imago.

Si ambias fasces, titulos, honores,
Utque cum pompa dominando praesis,
Limo calcandum moneat sub atro
Mortis imago.

Sique veneris per ovile Christi, ut
Praesul aut pastor vociteris, omnem
Suggeret fastum sub humo premendum
Mortis imago.

Forte te extollit generis propago,
Clara et insignis titulis vel armis,
At pares monstrat cineres in urna
Mortis imago.

Eruditorum tibi fors videris
Unus, aut alter probitate censor,
At parem indocto fore te docebit
Mortis imago.

Sive te iactas pietatis actis
Atque te laudat sacer et prophanus,
Iudicem monstret tibi iam adfuturum
Mortis imago.

Corporis dotes, vigor et venustas,
Sanitas, robur, sed et omne praestans
Occident una, velut atra monstrat
Mortis imago.

In voluptates modo pugna restat,
Una prae multis fugienda et anceps,
Quas ut expugnet brevibus docebo
Mortis imago.

Dum gulam irritant epulae suaves,
Vina cum frixo artocreisque, monstret
Vermibus quod sis cibus hinc futurus
Mortis imago.

Dumque titillat Veneris libido
Inguen, et mentem illicit ad nefanda,
Suggerat spurca haec caro quod putrescat
Mortis imago.

Quid sacras nonnas Hieronymumque
Lubricam fecit superare carnem?
Quid nisi obversans oculis frequenter
Mortis imago?

Iam modos cernis quibus una inermis
Castra fortunae variata vincat
Teque defendat malo ob omni utrinque
Mortis imago.

Iam vides plane nihil esse, quod plus
Avocet quemvis opere a pudendo,
Quam frequens finis meditatio, atque
Mortis imago.

Tetrastrophon iambicum singulis quaternariis repetitionis loco adiiciendum:

Quae dura sive blanda sunt,
Si morte terminanda sunt,
Aequa ferenda mente sunt,
Aut prorsus aspernanda sunt.

FINIS.

Epistolae exemplum ex Macropedii Epistolica desumptum.

Paradigma defensorium in Statu Absoluto.

nuatio. Quod non ipse, venerande praeceptor, ad te veniam, sed literis his apologeticis causam meam defendere malim, id in causa est, quod audierim te accusatoribus meis forte plus satis aures praebuisse credulas, et non solum mihi graviter succensere, sed etiam Petrisci, commilitonis mei, parentibus sumendum de me supplicium promisisse. Consultius igitur absens iudicavi commotum pectoris tui animum epistola mitigare quam temerario occursu ad indigna te provocare. Et licet de te, vir prudentissime, nihil indignum suspicari debeam, non potui tamen hunc menti meae prorsus eximere scrupulum, quin, priusquam causa diligenti examine discussa foret, iniuria caedendus essem, quod soleant admodum adolescentes etiam tuta pertimescere. Audio delatores meos, nempe parentes una cum filio suo Petrisco tribus me pariter apud te criminibus accusasse, maiestatis videlicet, lasciviae et rapinae; de quibus ut me probem innocentem, quod factum est, nihil omnino dissimulans, ex ordine tibi breviter recensebo.

rratio. Quum nudiustertius remissione nobis facta a lectionibus cum probis admodum et litterarum studiosis commilitonibus meis montes arenosos, quos Amersfordianos vocant, animi gratia accessissem, iunxissetque se nobis, licet invocatus et aegre

admissus, Petriscus Barbirius, certo convenit inter nos pacto et mulcta, nequid contra leges scholasticos in itinere committeremus. Pervenimus ad eum quem destinavimus locum, lusimus ultro citroque currentes, ut aestus solis vehementior permittebat. Reversi sumus tempestive, sed admodum sitibundi. Quum pervenissemus autem lassi ad deversorium in itinere publicum, cui intersignium est Cespes iunceus, et pene sitis ariditate deficeremus, cauponam nemine reclamante sermone illi vernaculo primus evocavi et cantharos cerevisiae duos aut tres foras ad vestibulum ubi considebamus adferri curavi. Allati sunt, bibimus, itineri nos denuo accinximus, ipse solus petentibus caeteris ad obolum pro hausta cerevisia cauponae argentum solvi. Inter ambulandum requiro pecuniam meam ex iis, qui contra leges peccaverunt; sponte dederunt alii, unus Petriscus, qui sermonis vernaculi bis notatus fuerat, unius quadrantis mulctam solvere recusavit. Quid tandem? Quum iam essemus urbem proximi (uti inter nos primum convenerat) libellum manualem, quem forte assumpserat, invito fateor abstuli, non mihi quidem vendicandum, sed tantisper custodiendum, donec solveret quod debebat. Ecce rem, en factum, propter quod tantam mihi apud te tragoediam excitarunt. Tu vide quaeso, venerande praeceptor, anne facile possim me de criminibus obiectis non modo excusare, sed et defendere, non modo venia dignum, sed et insontem demonstrare. Si non secundum locos et efficacissima, quae nos docuisti, rhetorum praecepta me non iniuria sed optimo iure fecisse omnia et praesertim id, de quo maxima est controversia, plane probavero, pro tuo arbitrio corrigi non detrectabo.

Primum omnium laesisse me dicunt tuam maiestatem, legesque tuas scholasticas temere et contemptim (si dici liceat) praevaricatum esse, et hoc uno crimine gemino me delicto involvunt, nempe vernaculae loquutionis et ganoniae. Si tantum notatus essem, praeceptor optime, et mulctam solvissem veniam me posse mereri confiderem, natesque flagris subducere, nec reus maiestatis argui possem. Nunc autem, cum neque tuas sacrosanctas leges praevaricatus sim, neque quicquam quod

probari possit in contemptum vel contumeliam earum dixerim me puto coram te prorsus insontem iudicandum. At lingua vernacula loquutus es, inquiunt. Non infitior, cum muliere. At secundum leges nulla prorsus ratione lingua vernacula loquendum contendunt. Fateor, cum scholastico: id quod callidi et subdoli subticentes, optime promulgatam abs te legem nequiter subvertunt.

suetudo. Annon, suavissime praeceptor, id hactenus in schola nostra non illaudabili consuetudine observatum est, ut cum externis et maxime idiotis et mulierculis sermone illis vernaculo impune licatum. loqui liceat? An non tuo ipsius haud temerando iudicio semper uum et accusati de simili casu poenas alioqui debitas evasere? Annon onum. aequum et bonum sive rationi consonum etiam Scythae (modo coram illis causa agatur) iudicabunt, si cum Germano germanice, cum Gallo gallice, cum omnibus sermone illis vernaculo loquamur, praesertim si linguam vel Latinam vel Graecam ignorent? Annon si secus agamus, aut insanire nos putabunt, latura. aut a communi hominum vita alienos? Obstupeo si non et ipsa natura hoc suadeat. Obiecerunt secundo, quod contra leges tabernam popinariam accesserim potus gratia. „Tabernas quaslibet", inquiunt, „potus gratia ne accedito". Rursus moderatae legis perversi citatores et falsarii suo se gladio iugulant, cum non scriptum sit „ne accedito". sed „ne introito". Aut probent me igitur introisse, aut tuo iudicio immunem sinant. latura. Quin et hoc ausim de prudentia et aequitate praeceptoris mei seu confidere, seu praesumere, si contra verba legis omnino domum introissem, et post lusus exercitationesque campestres, post laborem itineris, post tantos solis ardores pro naturae refocillatione bibissem, iuxta legitimam certe constitutionem Scripti et sententiae, tuo iudicio liber a calumnia delatoribus invitis evaderem. Nam domus illa, licet aliis sive taberna, sive popina, sive ganea sit, mihi certe diversorium fuit; et natura, licet usque sit a nimietate et superfluo rerum usu coercenda, nunquam tamen subtractis necessariis est obruenda, suetudo. secundum legem a prima rerum origine sibi inditam. Ut sileam interim quam nullus unquam reprobravit consuetudinem et

morem patrium, quo viatores ad sitim sedandam huc solent plerunque divertere. Veniam tandem ad praecipuum totius controversiae caput, veniam ad rapinam, quod scilicet Petrisci manibus libellum extorserim et mihi servarim. Non ibo inficias, sed quod iure fecerim evidentibus argumentis edocebo. Absit ut quenquam mortalium iniuria afficiam, quem optimi parentes mei ab infantia et incunabulis deum timere, innocentiam servare et virtutem amplecti docuerunt. Ausim dicere, (citra tamen arrogantiam intelligas velim) venerande praeceptor, quod neque tu, neque quisquam commilitonum meorum me secus agentem hactenus deprehenderit. Rapuit (inquiunt) filio meo librum. Factum, et factum probe. Quis enim vel natura instigante sua non repetat? Mea ut reciperem pignus accepi. Quae autem leges vel sacrae vel profanae pignorationem non admiserunt? Annon et mihi liceat vel dare pignori vel accipere, quod multis ante nos saeculis licuit omnibus? quod in omni gente et hominum natione consuetudine nunquam reprobata servatum est? Pignus oblatum (fortassis dicent) accipere licet, non vi tollere. Si (inquam) ultro dedisset postulatum, neutiquam vi extorsissem. At per magistratum aut tuo arbitratu id fieri debere contendent. Verum fortassis, nisi pacto spontaneo prius inter nos ita convenisset, ut siquis nostrum scholasticas legas praevaricatus [1]) esset, et multam impositam requisitus solvere detrectasset aut solvendo non esset, pignus ei aut volenti aut nolenti tolleretur et cuivis nostrum custodiendum traderetur, dum solveret quod deberet. Ita pactum, sic executum. Nunquid non te iudice, prudentissime praeceptor, Petriscus ipse, qui pactum nostrum irritum fecit, sceleris condemnandus est? et ego, qui iuste quod iustum est executus sum, criminis absolvendus? Nunquid non etiam Evangelicus paterfamilis murmurantem, plusque mercedis exigentem operarium durius redarguit, et iuxta

Natura. Lex. Consuetudo. Pactum.

[1]) *Praevaricari* apud Macr. ut apud Ecclesiasticos idem est atque legem violare.

pactum, quo secum convenerat, inanem et spe sua frustratum dimisit? Denique quis tandem vel iniquum vel inhonestum vel indecens iudicabit, etiam si lex aliqua durior huic negocio contrarium sonare videatur, si cogatur is, qui pariter nobiscum aliorum quae debebant impendia devoravit et ingurgitavit, etiam sua impendere, et quod alii sponte contulerunt, vel coactus solvere et stare conventis? Conveniam et ipsos aemulos et delatores meos. Vos, inquam, convenio et de aequo et bono vos consulo, qui, quo filio liberius indulgeatis, poenae me poscitis; si vestrum pari ratione negotium cum debitoribus ageretur, quid aliud faceretis? Nunquid non eos stare conditionibus et pactis postularetis et iuxta condictum quamvis invitis pignus tolleretis? Et qui causam hanc meam secus iudicare poteritis? Sed unum mihi obest (ne dicam vobis), quod filio plus aequo tribuitis, auresque plus aequo faciles deferenti (ne dicam mentienti) praebetis.

um et .um.

logus.

Te autem spero, prudentissime praeceptor, qui temere non omnibus credendum, qui cuncta cum iudicio dispicienda, qui et in iudiciis alteram partem audiendam nos docere consuevisti, te (inquam) spero, immo non spero, sed certo certius novi non usque adeo mulierculae, aut si quoque pater adfuerit, φιλοστόργων querelis credidisse, quin hanc meam apologian aequa sis mente admissurus. Cum legeris autem et probatissimorum qui adfuere iuvenum testimonio me nihil a veritate alienum narrasse didiceris, dicta dictis, facta factis, rationes rationibus confer, et si me sontem (ut illi volunt) iudicaveris, scholastico more castiga; si insontem (ut ipse confido) liberum pronuncia. Cum sint enim singula, quae a me vel dicta vel facta sunt, aut naturae proxima, aut legibus probata, aut consuetudini conformia, aut aequo et bono consentanea, aut pacto convenientia, nec unquam a prudentibus sceleris iudicata sint, cumque me semper hactenus, prout haec aetas tulit, maturum, probum, veracem, pudicum et alieni abstinentem (libere loquor) probaveris, contra Petriscum (quanquam illibenter dico) levem, improbum, mendacem, impudicum, furacem pariter ac rapacem saepenumero depraehenderis, confido (ut dicere coeperam) quod pro tua discretione et prudentia me redargutis

et convulsis adversariorum criminationibus insontem pronunciabis et sola veritate nixum eriges. Certe veritas premi quidem potest, opprimi autem non potest. Vale, praeceptor venerande, et ex tuo pendentem sano iudicio discipulum recipe. Siquid autem acerbius inconsideratiusve pro innocentia mea tuenda calore iuvenili incitatus effutivi, clemens ignosce. Iterum vale!

Hanc quoque epistolam generis Iudicialis in statu Iuridiciali Absoluto (quanquam puerile sit argumentum) ideo prolixius extendi, quod rem epistolicam a principio dixi me ea ratione tractaturum ut iisdem etiam praeceptis iisdemque locis in orationibus seu declamationibus rhetoricis puer uti possit, aut locos eosdem apud alios in filo seu contextu orationis usurpatos observare, quibus me planissime et crassa (quod aiunt) Minerva in epistolis usum viderit. Solet enim plerunque id planius exhiberi, adeoque facilius considerari et intelligi, quod latius explicatur quam quod arctius sub brevitate contrahitur. Admisi praeterea non modo in hac, verum etiam in aliis quibusdam paradigmatis sive exemplis, schemata, tropos, exaggerationes et amplificationes rhetoricas, ut res epistolica ad orationis artificium proxime accederet, et puer industrius discat ex parvis subinde grandiora tentare.

THESES.

THESES.

I.

HOM. Ilias XVII, 488 sqq. (ed. NAUCK, 1879):

Τώ κεν ἐελποίμην αἱρησέμεν, εἰ σύγε θυμῷ
σῷ ἐθέλοις, ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐφορμηθέντε γε νῶι
τλαῖεν ἐναντίβιον στάντες μαχέσασθαι Ἄρηι.

v. LEEUWEN et MENDES DA COSTA versu 489 *νῶιν*. Vulgata tuenda.

II.

THUCYDIDES II, 87, 3 (ed. Boehme, 1877): *νομίσαι δὲ ταῖς μὲν τύχαις ἐνδέχεσθαι σφάλλεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, ταῖς δὲ γνώμαις τοὺς αυτοὺς ἀεὶ ἀνδρείους ὀρθῶς εἶναι.*

Expunctis emblematis legendum: *ταῖς δὲ γνώμαις τοὺς αυτοὺς εἶναι.*

III.

XENOPHON, Oeconomicus II, 5 (ed. Dindorf. 1876): *ἔπειτα ξένους προσήκει σοι πολλοὺς δέχεσθαι, καὶ τούτους μεγαλοπρεπῶς.* Legendum *καὶ τοῦτο μεγαλοπρεπῶς.*

IV.

XENOPHON, Oeconomicus III, 9 *ἄλλως τε καὶ τῶν αυτῶν ὄντων ἀγαθῶν εἴς τε τὴν χρῆσιν καὶ κερδαλέων εἰς πώλησιν ὄντων.*
Prius *ὄντων* inducendum.

V.

POLYBIUS, I, 1, 5: *σχεδὸν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην ουχ ολοις πεντηκοντα καὶ τρισὶν ἔτεσιν ὑπὸ μίαν ἀρχὴν ἔπεσε τὴν Ῥωμαίων.* Ultima verba delenda.

VI.

POLYBIUS I, 4, 2: *σὺν δὲ τούτῳ καὶ τὸ μηδένα τῶν καθ' ἡμας ἐπιβεβλῆσθαι τῇ τῶν καθόλου πραγμάτων συντάξει. πολὺ γὰρ ἂν ἧττον ἔγωγε πρὸς τοῦτο τὸ μέρος ἐφιλοτιμήθην.*
Legendum *πρὸς τοῦτο τὸ τέλος.*

VII.

APPIANUS, de Bell. Civ. II, 32: *καὶ τὴν ἐπιστολὴν ὁ Κουρίων . . . . . ἐπέδωκε τοῖς νέοις ὑπατοις.* Legendum *ἀπέδωκε.*

VIII.

APPIANUS, de Bello Annib. VII, 39: *Μικρὸν δέ τι πολίχνιον Ῥωμαῖοί ποτε ἐπιτειχίζοντες Αἰκανοῖς, Ἄλβην ἀπὸ τῆς αὐτων μητροπόλεως ἐκάλεσαν. σὺν χρόνῳ δ' ἐπισύροντες ἢ διαφθείροντες, ἢ ἐς τὴν Ἀλβάνων σύγκρισιν, Ἀλβησέας αὐτοὺς καλοῦσιν.*
Legendum *εἰς τὴν Ἀλβάνων διάκρισιν.*

IX.

ARISTOTELES, Mirab. 57: ἔστι δὲ καὶ κρήνη τις ἐν Παλικοῖς τῆς Σικελίας, ὡς δεκάκλινος. αὕτη δ' ἀναρρίπτει ὕδωρ εἰς ὕψος ἓξ πήχεις. Lege δεκάκρουνος.

X.

LIVIUS IX, 13, 9 (ed. Weissenborn 1869): Omnia ab Arpis Romanis suppeditabantur, ceterum adeo exigue, ut militi occupato stationibus vigiliisque et opere eques folliculis in castra ab Arpis frumentum veheret, interdum occursu hostium cogeretur abiecto ex equo frumento pugnare. Legendum: in castra frumentum cum veheret.

XI.

VERGILIUS, Aeneis VII, 525 (ed. v. d. Vliet):

> sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
> horrescit strictis seges ensibus.

Legendum taetraque late.

XII.

L. ANNAEUS SENECA, de Moribus, 100 (ed. Haase, 1878) Vires tuas amici magis sentiant beneficiis quam iniuriis.

Legendum: quam inimici iniuriis.

XIII.

Valerius Maximus III, 6, 4, (ed. Car. Halm 1865): C. autem Duellius . . . . praecinente tibicine [et fidicine] a cena domum reverti solitus est.

Delenda quae uncis inclusi.

XIV.

Fallitur Gaston Boissier (La Fin du Paganisme, II, pg. 34) cum de Commodiano dicit haec: „Il nous apprend qu'il a vécu longtemps dans l'erreur, qu'il a frequenté les temples à l'insu de ses parents (ce qui semble indiquer que ses parents n'étaient pas païens).

XV.

Quod contendit Ludovicus Keller (Der Zweite Punische Krieg und seine Quellen, pg. 127—129) veteres historicos in singulis operum partibus singulos auctores sequi solitos esse, id in Polybium non valet.

XVI.

Bellum Punicum secundum a Romanis magis quam a Carthaginiensibus aut eorum ducibus provacatum est.

XVII.

Aan het einde van zijn commentaar op Plato's Protagoras zegt Deuschle: „Der Ertrag des Dialoges ist durchaus nicht blosz negativer Art. Vielmehr steht fest dass die Tugeud im philosophischen Sinne im Wissen des Guten bestehe.

Dit laatste wordt echter in dezen dialoog niet bewezen.

XVIII.

Ten onrechte beweert Schleiermacher (geciteerd bij Zeller Phil. der Griechen II, 1, pg. 84 ed 1875), dat Xenophon zich in zijne Memorabilia beperkt tot het doel, zijn leermeester tegen bepaalde beschuldigingen te verdedigen.

XIX.

Het programma van het Eindexamen der Gymnasia moet, wat de Oude Talen betreft, gewijzigd worden.

XX.

Bij het tegenwoordige leerplan der Gymnasia is het zeer moeielijk het onderwijs in de oude talen tevens te doen strekken tot oefening in onze moedertaal.

Nazareth Hall
3/1/57